

LC40
663



IN M. TULLII CICERONIS

LIBROS PHILOSOPHICOS

CURÆ CRITICÆ,

AD NOVISSIMAM J. G. BAITERI ET CAR. HALMII

QUÆ TURICI, ANNO MDCCCLXI, IN LUCEM PRODIIT

EDITIONEM ACCOMMODATÆ.

SCRIPSIT SUOQUE SUMPTU EDIDIT

L. VAUCHER

PROFESSOR GENEVENSIS.


FASCICULUS I

Academica, libros de Finibus, Tusculanas disputationes complectens.

LAUSANNÆ

TYPIS GEORGII BRIDEL

MDCCCLXIV


HARVARD COLLEGE
JUL 8 1921
LIBRARY

LECTORI

S. P. D.

Inter Ciceronis scripta quæ dicuntur philosophica, olim mihi proposueram diligenter pertractandos et accurate recensendos, ut, si fieri posset, eos in fideliorem seu nativæ formæ propiorem conditionem restituerem, egregios illos de Finibus bonorum *libros, in quibus haud pauca adulterationis, transpositionis, interpolationis vestigia animadvertisse mihi videbar. Arduum hoc propositum, ætate jam matura, exsequendum suscepi, eosque libros iterum atque iterum perlegi; illos in francogallicam linguam converti, quo certior fierem omnium difficiliorum locorum sensum quæsivisse atque perpendisse; reliqua etiam Tullii scripta quæ ad philosophiam et ad rempublicam spectant, comparationis faciendæ causa, recognovi. Nunc autem horum studiorum fructus, qualescunque sunt, colligendi tempus adest, ut quid ad illorum scriptorum integritatem inde defluxerit æqui judices dignoscant.*

Summa sane gratia debetur, cum iis philologiæ artisque criticæ cultoribus qui nostra ætate scriptorum veterum codices requisiverunt, excusserunt, in publicum maxima et prius inaudita diligentia ediderunt, tum iis qui inter illos codices, sagaci intelligentia præditi atque linguæ intima cognitione freti, meliores vel majoris fidei dignos delegerunt et sedulo recensuerunt, inter quos eminent C. T. ZUMPTIUS, J. NIC. MADVIGIUS, J. BAKIUS, *in primis gnavus ille et fecundus* J. CASP. ORELLIUS, *cujus Ciceronis, Horatii, Taciti editiones tantopere horum heroum opera illustraverunt. Dignos vere hujus præstantis critici heredes* J. G. BAITERUM *et* CAR. HALMIUM *salutamus, qui opus morte magistri interruptum continuaverunt, nec minorem apud omnes Tullii lectores gratiam obtinebunt, quorum contextum, sordibus purgatum novissimorumque editorum studio emendatum sub oculos habere interest.*

Verumtamen non ea est Tullianorum scriptorum conditio, ut nihil aut paullum supersit artis criticæ cultoribus efficiendum. Quis nescit quot et quantos errores prodant vel vetustissimi vel accuratissime scripti codices? Quis autem hoc mirari potest quantum temporis intervallum inter ipsos scriptores elapsum sit et minime recentes librarios reputans? Quem fugiunt nævi qui tum auctoris ipsius schedas, tum primas scribarum perscriptiones inficere solent? qui nævi quanto graviores, quanto faciliores, quanto frequentiores illis temporibus esse debebant quam nostra ætate, quæ tamen multimodis iis obnoxia est!

Quamobrem non arrogantiæ vel temeritatis crimen mereri mihi videor, qui, post tot tamque felices conatus Tulliana scripta ad pristinam formam revocandi, novis locupletissimisque subsidiis fretus, quæ mihi scripta nostri auctoris studiose atque sedulo legenti in mentem subierunt varias rationes illa in meliorem conditionem reducendi doctorum suffragiis propono; si modo has meas curas benevola mente pertractare velis, nec me per viam non insolitam quidem sed timidius segniusque fortasse tentatam comitari asperneris. Vale.

CORRIGE, SODES:

Pag. 9, l. 13, cujus . . . . vox, *pro* quod. . . vocis
— 14, l. 22, absorpsit *pro* absorbsit
— 19, l. 16, argumentationis *pro* argumentationi,
— 36, l. 37, prudentia *pro* sententia

IN M. T. CICERONIS

LIBROS PHILOSOPHICOS

CURÆ CRITICÆ



ACADEMICORUM PRIORUM LIBER SECUNDUS

I, § 2. Vix deesse potest præpositio *in* ante voc. *pace*, et facile nomine *Asia* carebo.

III, § 7. Lacunam explendam esse Halmius censet legendo, ut § 8 : « qui *se scire arbitrantur*, dicere quæ videntur, etc. » Mihi in mentem venerat : « qui se scire *profitentur.* » Conf. § 14 ad. finem. — § 8. Legere velim : « quæ *si* sequi facile, adfirmare vix possumus » ; si enim abest *si*, deesse videtur *autem* post *adfirmare*. — § 9. Locum difficilem planiorem fieri existimo, si, omisso verbo *potuerunt*, addas, ut legitur in Sigonii codice, « sic iudicare » post voc. *sententiis* : « Sed ut potuerint omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis sic iudicare, iudicaverunt autem re semel audita atque ad unius se auctoritatem contulerunt. »

IV, § 10. Incisum, « si non fuerint », in quo variant codices et quod explendum voce *vera* censebat Davisius, alienam manum redolet, nam dialogi acumen obtundit.

V, § 13. Commata « ut videmus », « ut suspicantur », interpretamenta sunt e margine in textum illata adverbiorum *palam* et *obscurius*, ideoque Grutero suspecta ab Halmio inclusa sunt. — § 15. Merito voces « perfectissimam disciplinam » Lambino dubiæ videbantur, qui legendum esse cen-

sebat : « perfectissima disciplina »; mihi primum in mentem venerat : « perfecta sua disciplina », quod nondum satisfaciebat; deinde conjiciebam: persequentes suam disciplinam, ut legitur Acad. post. I, 2, 7. « Si vero Academiam veterem persequamur »; postremo, ut arctius codicum lectionem complecterer, legendum esse censui : « perfecturos suam disciplinam, » quod mihi Ciceronis mentem exprimere videtur : Academici enim, Peripatetici, Stoici Platonis philosophiam nequaquam imminuerunt, at perfecerunt. Halmius tacet.

VI, § 16. Dant codices *vetera*, post « sed fuerint illa », pro quo Bentley legendum esse censuit *veteribus*, quod editores admiserunt; mihi vero *vetera* videtur interpretamentum pron. *illa*, itaque deleam seu *vetera* seu *veteribus*. — Melius dialogi motum referre iisque respondere quæ sequuntur Bentleii legendi ratio mihi videtur, qui interrogationis signum post voc. *actum* ponit, et *quod* in *quot* mutat, quam lectio a Madvigio vindicata et ab Halmio accepta. Etenim philosophorum potius multitudinem, quam investigationum veritatem et fructum Tullius jactat. — § 17. Malim legere : «*enimvero* esse nullam rationem disputare» pro « nec vero esse ullam rat., etc. » Sic melius, opinor, sententiæ cohærent. Codd. dissentiunt.

VII, § 20. Suspectum Davisio membrum : « ut oculi pictura teneantur, aures cantibus » uncis inclusit Halmius. Quam multa non minus aliena etiam nunc religiose servantur, sine ullo suspicionis signo! — Adjectivum *vitiosa* h. l. sine dubio spurium est. Schütz. velit *obtusior*, Baiter. *vilior*; equidem *otiosa* Ciceronem scripsisse suspicor. — § 22. Walker. legendum esse putabat: « quas si subtraxeris »; cui contradicit Madvig. qui singularem *quam* dici existimat de una perceptione. At vix unus e centum lectoribus id ita intelligat, et reliqui pronomen *quam* ad voc. *ars* referent. Præterea Cicero ipse de pluribus perceptionibus loquitur.

VIII, § 26. Quamvis obloquatur Orellius, Bentleii correctionem admittam: «quasi quædam *dux* lumenque vitæ»; non auris tantum sed etiam sententia exegit ut post *dux* adderetur *lumen*, quæ vox haberi potest quasi fax quæ fertur a duce. Exempla desidero ubi sic jungantur « lux lumenque. »

IX, § 27. Vix putes Ciceronem dicere voluisse inter visa quædam etiam falsa esse posse, quasi non liqueret; conf. infra §§ 40, 41. Davisius igitur cum Codd. 2, haud perperam « vel vera » addidit, quæ vocc. elapsa sunt per homœoarcton.

X, § 30. Madvig. (Addend. ad libr. Acad. p. 854, edit. Orell. secundæ) scribendum esse suspicatur : « *Etsi* poterat disputari subtiliter », pro vulg. *Sed*, ut referatur ad consilium hoc fere prætermittendi, paullo ante significatum. Libenter adsentior.

XI, § 33. Verba « veri et falsi » post incisum « regula est », jam spuria esse viderat Lambinus, quæ nihilominus Orelli, Klotz aliique servaverant, Halmius ea postremo uncis inclusit; ego ista prorsus deleam. — § 34. Mad-

vig. (ibidem) legere velit cum Davisio, ex cod. ψ Oxon. : « Verum illud quidem *et* impressum in animo atque mente ». Equidem malim, cum Lambino : « *Vere* illud quidem impressum, etc. » in qua lectione nihil ambiguum subest. — § 36. Conjunctivum *accedant* deberi opinor particulæ *si*, quæ adverbii *sic* locum usurpavit et totam sententiam conturbavit, quam sic restituendam esse puto : « *Num sic*, magnam partem quidem, ut solent dicere, ad verum ipsum aut quam proxime *accedere*, confidere sibi poterunt? » Madvig. addidit *ne* ante *si*, cui Halmius obtemperavit. Conj. *quidem* vero pertinet ad verba « magnam partem » non ad *ne*; et raro verbum *confidere* absolute usurpatur.

XII, § 37. Incisum : « inanimum nihil agit », a Klotzio perperam redintegratum inter vocc. *quod* et *animal*, denuo delevit Halmius. — Cum eodem legam : « aut ea quæ *sit* in nostra potestate sita », sed malim *addenda*, quod respondet melius participio *adimendus*; nam si legas *reddenda*, significet adsensionem fuisse negatam. Cod. B[1] dat *adredenda*. — § 39. Lambinum sequor qui legit *adsentiri* ante *quare*, quia mutata structura vix accipienda est in tam brevi sententia, præsertim si inde oriatur usus loquendi vix legitimus, scilicet potestas passiva verbi *adsentiri*.

XIII, § 40. Halmio dubium videtur verbum *potestis*, et conjicit *oportebit*, *opus erit*; malim *par est*. — § 42. Non facile intelligitur quod significare voluit noster hoc inciso : « quam obscurari volunt »; Davisius conjiciebat : « quæ obscurare volunt »; Christius : « quam observari nolunt ». Fortasse legendum : « quam observare solent. »

XIV, § 43. Vix suppleas nomen ad quod refertur voc. *horum*, ante *luminibus*; Lambinus legebat *harum*, Halmius velit *rhetorum* vel *oratorum*; ego suspicor legendum esse : « *dicendi* luminibus », quod verbum latebat in vocis compendio. — Poterat Halmius edere : « fatendum *est* », nam codicum auctoritas parum valet in discrimine formarum *est* et *sit*. — Davisius aliique particulam *vel* delendam esse viderunt ante vv : « illa vera definitio »; Halmius illam part. cum adj. *vera* jungit et utrumque voc. librario tribuit, qui pronomen *illa* explicare volebat, sed *vel* tantum inclusit; equidem id deleam. — Voc. *partibus* spurium videtur; alii id includunt, Hermannus legit : « pariter rebus »; nonne legi possit : « in omnibus *paribus* »? — § 44. Codices habent : « perceptis *visa* » pro quo Manutius legebat *nisa*, quem sequuti sunt editores; ego malim *usa*.

XV, § 47. Vix Ciceronem scripsisse credas : « quoniam ipsi etiam illi solent, etc. » Davisius cum cod. Par. omittebat *illi*; Halmius malit : « *quæ* etiam illi solent. » — Adverbium *inaniter* Walker. delebat; Davisius legere volebat *frequenter*; in eo suspecto voc. mihi latere videntur vocc. « non aliter », unde ortum est interpretamentum *eodem modo*, quod supervacuum fit; sed legendum « *et* iis quæ sint » pro *ut*. — Durandus vidit aut *plane*

aut *proxume* abundare; quod vitium fortasse debetur dubitationi inter scribendum ortæ apud ipsum scriptorem, qui alterutrum delere neglexit.

XVII, § 53. Formula « ex hoc genere toto » nonnihil displicet, tum quia præcedit « totum hoc », tum quia infra legitur « in hoc omni genere »; quare legendum opinor: « ex hoc genere *satis* perspici potest levitas, etc. » — Melius, ut mihi quidem videtur, procedet oratio, si legas : « *Nec* illud adtendimus..... quam inconstanter loquamur. *Num* enim proferremus..... tum nihil interesse? » Addidi *nec* ante *illud*, mutavi *non* in *num*, et interrogandi signum posteriori sententiæ tribui. — § 54. Lambinus legebat : « ut insano an *ut* sano » quod placet Halmio; mihi vero legendum videtur: « ut insano *sic* sano »; *an* ortum est ex *utrum*. — Tueri conatur Madvigius hoc membrum tam obscurum et importunum : « nec sit in duobus aut pluribus nulla re differens ulla communitas », quod certe peritum adnotatorem prodit, non tamen Tullii solitam elegantiam refert, qui hunc sensum voci *communitas* qua tam crebro utitur, tribuere non solet; minime vero hoc membrum requiritur ut sententia perspicua fiat: præterea orationis motum frangit; illo igitur facile carebo, et legam cum Lambino: « *At tibi* sint et ova, etc. » Halmius pron. *sibi* inclusit. Posthac Madvig. (Addend. p. 854) sic fortasse legendum esse monuit: « Nec sit in duobus aut pluribus nulla re differens communitas *visi* (φαντασίας, aut videndi, τοῦ φαντάζεσθαι, conf. 31, 101, percipiendi). Sint et ova ovorum, etc. » Equidem in mea opinione persevero. — § 55. Jam damnaverat Manutius quasi spurium incisum : « et eos quidem innumerabiles », quod Halmius uncis inclusit. Idem, auctore Christio, particulam *ita* ante *pares* seclusit; sed sequitur *ut* quod huic correctioni repugnat; quo omisso, legi possit: « inter *quos* nihil prorsus intersit. »

XVIII, § 56. Codices dant *potest*, quod in *propter* mutatum fuit non recte, ut censet Halmius qui edidit : « potiusque refello propter id quod dilucide docetur ». At voc. *potius* ante *refello* vix integrum est, et fortasse latet in verbo *potest;* præterea displicet hexametri clausula; legam igitur : « et refello potius, *quoniam* dilucide docetur ». — § 58. Locus difficilis et vexatus : « Nihil enim magis adsentiri potest, hoc illud esse, quam si inter illa omnino nihil interesset », videtur in formam verisimilem redactus, tum ope Davisii qui legit *par est*, pro *potest*, tum Madvigii qui legit *quasi* pro *quam si*, quos secutus est Halmius. — § 60. Codices habent *utroque* vel *utrumque*, sed ea in re parum valet eorum auctoritas; legam *utraque*, quoniam agitur de *ratione* et *auctoritate*.

XXII, § 70. Melius procedet, opinor, et facilius intelligetur oratio, si legas: « Nominis dignitatem videtur...... retinere voluisse; *quid?* quod erant qui illum gloriæ causa *sic* facere dicerent, sperare *enim* fore ut ii, qui se sequerentur, Antiochii vocarentur ». Apud codd. ABE legitur *facerent;* apud AB[2] *sperarent*, apud B[1] *sperare etiam*. Scripsi cum Camerario et Orellio

« facere dicerent »; Halm. cum Davisio: « fecisse dicerent »; idem subinde: « cum speraret iam, etc. » — § 71. Dubitari potest num Cicero ipse incisum « quum quæreret » in oratione admiserit; perplexam efficit sententiam, nec omnino requiritur.

XXIII, § 72. Colon: « Sic enim appellabantur qui ostentationis aut quæstus causa philosophabantur », suspectum erat Schæfero (ad Dionys. de comp. verb. p. 406); nonnulla ejusmodi apud Ciceronem leguntur quæ seu lectorum, seu auditorum ignorantiam majorem produnt quam quæ ex ipsis libris conjici potest. Verius, opinor, tribuentur grammaticis qui hos discipulis libros interpretabantur. — § 73. Halmius, auctore Madvigio, seclusit *eos* post vv. « Sic enim appellat »; equidem hoc pron. deleam. — § 74. Elegantior fieret oratio omisso priori *versibus*.

XXIV, § 76. Uncis inclusit Halmius, quasi glossema, colon: « videntur minime contempti philosophi qui »; equidem omittam tantummodo *videntur* et *qui*. Madvig. (Addend. p. 854) legit: « Quid Cyrenaici *tibi* videntur m. c. philosophi? qui negant, etc. » Conf. Hor. Ep. I, 11, 1. — § 77. Aliquid deesse videtur in sententia: « Ille, credo, nihil opinaturum, quoniam esset, etc. » quia non respondetur quærenti « quid futurum esset »; legam igitur: « Ille, credo, nihil *futurum, sapientem vero* opinaturum, quoniam esset quod percipi posset ». Omissionis causa quærenda in homœoteleuto.

XXV, § 79. Legam cum Lambino: « quod ne *tu* facere posses ». — Halmius, sepositis omnibus conjecturis, edidit cum codicibus, sed obelo signavit incisum: « lacerat ista causa ». Madvigius (in Addendis p. 854) scribendum esse censet: « Maneant illa omnia; laceratur ista causa; veraces *vos* esse sensus *dicitis*. *Itaque* semper auctorem *habetis* eum qui magno suo periculo causam agat ». Sed desunt exempla quibus tueri possis hunc loquendi usum: « laceratur causa ». Suspicor legendum esse: « *labat* ista causa; veraces *tuos* esse sensus *dicis*; igitur semper auctorem *habes*, etc. » — § 80. In prioribus editionibus et Orelliana legebatur: « Hoc est verum esse, confidere suis testibus et *importune* insistere »; codices autem habent *inportata*, quod Halmius restituit cum obelo. Madvigius hærebat in sensu commatis: « hoc est verum esse » et conjecerat « virum esse », quod serius repudiavit; idem monuit *et* tertio loco vitiosum esse; at non vidit posteriorem sententiæ partem ad voc. *verum* referri, et signum interrogandi vel admirandi post *insistere* ponendum esse. Quid lateat in scriptura *importata* aliis acutioribus ad divinandum relinquit Halmius: « certe non *inportune*, inquit, quæ lectio adhuc nimis patienter tolerata est. » Opinor equidem illi sententiæ, quæ aliquid ironicum redolet, Ciceronis mentem restitui posse si legas: « in *portento* insistere! » quoniam Epicurus dixit: « Si unus sensus semel in vita mentitus sit (quod verum est portentum), nulli umquam esse credendum; » quæ vox *portentum* sæpissime apud Lucretium et nonnumquam apud Tullium legitur; conf. § 123. — Mihi videtur deesse verbum *uti*

inter voces *communibus* et *locis*. — Verbum *videmus* abesse potest post « quam longe » ; nam in adverbium cadit vocis contentio. — § 81. Legam cum Orellio : « quam mullos illos » ; Halmius maluit : « quam illos pisces » ; sed vox *pisces* debetur potius interpreti. — Recte legit Halmius, monente Christio : « At amplius non desiderant », contra codices qui habent *desideramus*.

XXVI, § 82. Codd. habent : « qui ne nunc quidem » ; Halmius scripsit : *quin* ne (i. e. quin ne nunc quidem sensus mentiri putat). Madvig (Add. p. 854) Davisium sequitur legentem : « Quid? ne nunc quidem (scil. mentiri oculos putas »). Adsentior; at suspicor hoc incisum alieno loco positum fuisse et transferendum esse post vv. « Non multum mentiantur », ubi bene jungitur cum iis quæ subjiciuntur : « Ubi igitur illud est semel? » Sententia : « cum ille sol... videatur » facile connectitur cum superiore : « Sed ab hoc credulo... discedamus ». — § 83. Quis dubitet egregiam Durandi correctionem : « quam in parvo lis sit » admittere?

XXVII, §§ 86-87. Jam Davisius Ernestiusque viderant jungenda esse verba : « Iam illa præclara » cum membro : « Cur non extimescam opinandi temeritatem », intelligendo *adeo* ante *præclara*, ita ut *cur* valeat « ad id ut » seu « propter quæ. » Si ponas cum Hülsemanno, quem sequutus est Halmius, signum admirandi post voc. *natura* et interrogandi post *temeritatem*, legendum *est* pro *esset*; nec tamen facile inter se connectuntur sententiæ. Ego vero malim intelligere *faciunt* et post *cur* omittere negationem quam addere necesse fuit, postquam sententias disjunxerant, interrogationemque admiserant ob vocabulum *temeritatem*. — § 88. Legendum esse opinor : « quasi quisquam neget, et qui experrectus sit *tum* somniare », pro vulg. *eum* ubi, ni fallor, requiritur *se*; sic idem exprimitur quod volebat Lambinus legendo *somniasse*, etenim habemus imperfectum infinitivi; *somniare* usurpatur absolute, conf. § 51. Halmius censet, quoddam verbum omissum esse post *somnia*, quale *reprobare*, unde orta sit lectio *somniare*; locum obelo signavit.

XXIX, § 92. Vix abesse potest *quod*, seu ante seu post *certum*. Christio auctore, Halmius inclusit *non* ante *habemus*; mihi prorsus delendum videtur. — § 94. Codicum lectionem servavit Halmius legendo *superbe*, addito verbo *facis*; equidem malim *superbum*; sic nihil opus quicquam addere. — Halmius scribit : « augentis nec minuentis », et monet terminationem acc. plur. in *is* librarios in errorem induxisse. Idem accidet certe plurimis lectoribus, nec multum proficitur hac sedulitate.

XXX, § 98. Omittam cum Durando *iudicabo*, post « ne illud quidem ». Religiosior fuit Halmius.

XXXI, § 100. Addam cum Lambino *ei* inter *probabile* et *videatur*.

XXXII, § 102. Madvig. (Addend. p. 854) monet orationem sic interpungendam esse : « certe levior reprehensio est, quod [tamen] dicimus esse

quædam probabilia. Non videtur hoc satis esse vobis. Ne sit; illa certe, etc. » — Nomen *poetam* ut manifestum glossema inclusit Halmius. — § 103. Non facile referas ad nomen *Academia* pronomen *quibus*, pauciora enim verba sunt interjecta, quam ut oblitus sit lector singularis formæ *Academia*, et paulo supra legitur « errare eos qui dicant ». Itaque legam *Academicis*. Fortasse legendum in paragraphi principio *Academiae* pro *Academicis*, ex qua permutatione orationis confusio orta est. — § 104. Gruterus aliique spuria habent verba : « Ut aut adprobet quid aut improbet » eaque Halmius uncis inclusit; mihi vero vestigia offerunt duplicis formæ qua sententiam exprimere volebat noster; ita ut alterutram omittere oporteat; deleam tamen potius membrum : « ut neque neget aliquid neque aiat », quod minorem elegantiam præ se fert, et post verbum *sustineat* verba Grutero suspecta transponam. — Hærent viri docti nec immerito in his verbis : « Nec ut placeat »; aliquam lucem afferam, spero, monendo vocem *necesse* latere in negatione *nec*, quod alibi evenit, et sententiam ab iis quæ superius leguntur pendere; scil. « id cum ita sit ». Legam igitur : « Necesse est placeat, eum...... agere aliquid; *ideo* reliquit eiusmodi visa, etc. » *Ideo* latebat fortasse in finalibus litteris vocis *aliquid*. Madvig. (Addend. p. 854) conjicit : « *quumque* placeat, etc. » Sed sententia etiamnunc pendere mihi videtur.

XXXIII, § 105. Legam *dissimile*, ut velit Halmius, qui poterat *que* delere. — § 106. Non video quare fluctuet Halmius inter formas *comprehensus*, *conprehensus*, *comprensus*, *conprensus*, *comprehendi*, *conprehendi*, *comprendi*, *conprendi*, Conf. § 109 et alibi. — § 107. Malim edere *limina*, secundum cod. G., quod melius respondet verbo *continent*, nec longe abest a primo vocis sensu. Alii legunt *lumina* ut edidit Halmius, alii *vincula*, *munimina*, *columina*, etc.

XXXV, § 113. Codices dant : « Sed mihi minores » unde Jo. Clericus conjiciebat, teste Durando : « Sed qui his minor est », quam conjecturam admisit Halmius, licet malit : « Sed minutiores »; a codd. minus abesset lectio : « Sed *alii* minores. » — Davisius censet legendum esse : « vel quod *illum* iudico » pro vulg. *ita;* Halmius malit addere « eum esse » post *acutissimum;* equidem transferam verba « politissimum...... philosophorum » post *hominem*.

XXXVI, § 116. Manutium sine hæsitatione sequor legentem : « lineam autem sine ulla latitudine currentem »; nequaquam simul legi possunt « sine ulla » et *carentem*. — Nondum satisfacit lectio codicum : « nec prius », intelligendo *adigam;* magis placet interrogatio plena : « *num* prius...... iuraturum putas? »

XXXVII, § 119. Omittam *tibi* post *syllabatim*, cum Manutio, Stephano, Lambino.

XXXVIII, § 120. Addidit Halmius *respondere*, post « quod tibi est », quia requiritur verbum unde pendeat *cur;* sed vix dixeris « respondere cur »;

malim *ostendere.* — § 121. Vix deesse potest verbum *esse* in sententia : « Negas sine deo posse quicquam », quod senserat Davisius; *esse* fortasse evanuit ob voc. *ecce* quod sequitur.

XXXIX, § 122. Si displicet vox *occultata*, malim legere *obvoluta*, quam *obscurata.* — Bene scripsit Halmius : « medici *ipsa* » pro *ipsi;* sic legitimum fit *viderentur.* — § 123. Idem bis dicunt formulæ « e regione nobis » et « in contraria parte terræ », quod jam viderat Lambinus; sed legitur apud Nonium utraque formula et eum sequuti sunt fidenter editores; at verendum videtur ne contra Ciceronis mentem egerint, qui, si utramque fortasse scripserat, alterutram postea delevit, quod librarios fugit. Equidem omittam cum Lambino verba « in contraria parte terræ ». — Halmius Lambinum secutus est qui legendum esse vidit : « Egone? ne bis quidem tantum. » — § 124. Egregiam Bentleii correctionem legentis, pro spurio *mens* quod dant codd., *numerus* ex Plutarchi testimonio (Mor. 1012 D), admiserunt, post Orellium, editores recentiores; rarius exemplum !

XL, § 125. Si cum Christio legas : « *quo quid* movebitur », pro vulg. *quod*, addendum *corpus* ante *cedat;* si vero legas cum Halmio : « *quo quidque* movebitur », omitti potest vox *corporum.*

XLI, § 126. Quum *huic* legatur apud plerosque codices, sic mihi legendum videtur potius quam *vestrae*, quod speciem habet interpretamenti, unde ortus est pluralis « malis architectis » qui Davisio suspectus merito videbatur; itaque sic scribam : « Huic ego me, quasi mali architecti, mensuræ nego credere. » — § 127. Legam cum Lambino, ex codd. *occurret*, et deinde *complebitur ;* cum Durando *suavissima* pro *humanissima ;* mallem cum Bentleio, ob ea quæ paulo supra leguntur, *divinissima*, nisi nimis a Codd. lectione distaret. Fortasse scripserat Tullius *divina*, quod evanuit per interpretamentum quale *maxima.* — § 128. Sequar Ernestium legentem : « adsentientur neque adprobabunt. »

XLIII, § 132. Abundare mihi videtur *per*, inter *omitto* et *Aristotelem.* — Post multa criticorum tentamina conjicit Christius : « Hic igitur, neutri adsentiens, multo quam vester est prudentior ». Codicum vestigia pressius sequor legendo : « Hic igitur, neutri adsentiens, *sane quam altero* est prudentior ». In codd. legitur : « Si numquam uter est pr. », quam lectionem edidit Halmius et obelo signavit. — § 133. « Transpositione, ait Orellius, ut jam bis terve ab aliis factum est in hoc libro, sanandus est hic locus; itaque verba « in utramque partem » quæ Codices post *videntur* ponunt, transtulit post *dicuntur ;* quam correctionem adsumsit Halmius. Nimis parce hoc facile et innocuum remedium adhibere solent nostræ ætatis critici. Moserus addendum censet *si* inter *quid* et *quae*, cui obtemperavit etiam Halmius; equidem malim sic legere : « Quid? quæ dicuntur in utramque partem, *si* acuta mihi videntur et paria, nonne caveam ne scelus faciam? »

XLV, § 137. Merito Halmius voc. *Stoico* post *huic* spurium esse suspica-

tur. — § 138. Gratiam idem meretur quod admisit egregiam Christii correctionem legentis : « verenti ne » pro codd. lectione « veremini ne, » et Bentleii *opinationem*. — § 139. Melius, opinor, procedet oratio si legas *et* pro *ut*, ante « quoniam Aristippus », et omittas *ut* ante *Calliphontem*. — Malim cum Halmio : « Sed si istum », pro vulg. « Sed, si ipsum », quod obelo signavit ; at omittam voc. *finem* quod deest in quibusdam codicibus et sententiæ obest.

XLVI, § 141. Addam cum Durando *esse*, inter *fixum* et *vis*. — § 143. Fortasse legendum *curiosissimi* seu *operosissimi*, quod dicitur etiam de hominibus, pro lectione codicum *opinosissimi*.

XLVIII, § 148. Codices habent *per*, ante voc. ἐποχήν, unde nullus idoneus sensus ducitur ; alii alia conjiciunt ; Halm. admisit Manutii conj. *quare* ; malim *quapropter* quod facilius vocis *per* locum usurpavit, ob compendiorum similitudinem.

ACADEMICORUM POSTERIORUM LIBER PRIMUS

I, § 1. Admisit Halmius Davisii correctionem : « se visentium » pro codicum falsa lectione « satis eum » ; at Madvig. (Addend. p. 854) monet legendum esse : « Satis *tum* longo intervallo, » h. e. quum longo tempore interjecto tum primum vidissent. Fortasse Tullius scripserat *salutantium*. — § 2. Vix servari potest *ea* ante *percontantibus* ; ideo Halmius, auctore Durando, hoc voc. inclusit ; sed forsitan cujusdam particulæ locum tenet, unde legendum esse suspicor : « *iam* percont. », quod bene congruit cum Attici responso. — Malim « occultari *velis* » pro *velit*, cum Hieronymo (in Rufin.) et Walkero. — § 3. Addere velit Christius *eum*, post « nihil enim », quod vix deesse potest cum verbo *celare* ; ego vero omittam *enim* quæ part. pronominis locum usurpavit. — Legam, pro « ea res », « ea ars » cum cod. E, vel potius « ars ea », quæ lectio respondebit voc. *artibus*, ut *studium*, *studiis*.

II, § 5. Vix putes Ciceronem scripsisse : « quoniam utramque vim virtutem esse nostri putant » ; legere volebat Manutius : « utramque vim unam esse nostri p. » Halmius malit : « utramque *unam* virtutem ». Quum vero agatur de dialecticorum oratorumque præceptis, mihi legendum esse videtur : « quoniam utramque *viam utilem* esse nostri putant ». Deinde transponam particulam *sic* ante *verbis*, quia respondet part. *ut* ante *legibus*. — Quæ sequitur sententia facilius, opinor, intelligetur, meliusque Varronis excusa

2

tionem absolvet, si addas *si*, inter *quæ* et *docti*. Obsequar autem libenter Halmio legere volenti : « ut frustra omnis *scribendi labor* suscipiatur », intelligendo *verendum est*. — § 6. Verbum *contineantur* criticorum suspiciones movit qui conjecerunt *continuentur*, *concinnentur*, *conficiantur*, malim *contexantur*. — Si inseras *quum* inter *quæ* et *contineantur* (?), seu *quoniam* cum indicativo, legere debes : « adhibenda etiam geometria est » ; si vero omittas *quum* vel *quoniam*, quod abest in quibusdam codd. sublata distinctione post *nosti*, legendum cum Manutio : « adhibenda *quin* etiam geometria est. » Sed quovis modo sententiam construas quæ subinde legitur, sive interrogandi signum post *adducere*, sive post *rebus* ponas, etiam nunc claudicat. Cæterum quæ geometriæ intelligentiam impediunt, ea reliquas etiam philosophiæ partes afficiunt. Si vis ergo integram sententiam obtinere, quæ omnia requisita complectatur, transponenda tibi sunt ambo hujus membra, addito *iam* transitus causa, quod fortasse latet in *quam* ante *quibusnam*. Sic igitur legas : « Iam hæc ipsa de vita et moribus et de expetendis fugiendisque rebus, quibusnam quisquam enuntiare verbis aut quem ad intelligendum poterit adducere? » Quo remedio non magis nocetur genuinæ orationi, quam si lacunam suspiceris ; non minus enim errare potuit librarius seu incisum in margine scriptum perperam inserendo, seu quædam signa quæ verborum ordinem præscribebant negligendo, quam sententiæ partem omittendo. Immo habes nunc sententiam quæ saltem judicio satisfacit, sin minus integram. — Codices variant etiam de particulis *enim* et *autem* vel de earum loco ; legam igitur sine lacuna : « Illi *quidem* simpliciter, etc. », quod respondeat sequenti *autem*, post verba « apud nostros. » — § 8. Vix percipias quomodo minus docti intelligerent « multa admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice » ; itaque transponendum esse opinor post verbum *conspersimus*, membrum sententiæ : « quo facilius minus docti intelligerent jucundidate quadam ad legendum invitati. »

IV, § 17. Suspicor verbum *praetulit* ante *praestantissimos* evanuisse ; ægre enim caret lector novo verbo post *reliquisset*, quod nuntiatur particula *autem*. — Omittam cum Ciaconio voc. *dubitationem*, post *Socraticam*, quod alienum est ab oratione ; etenim comma « de omnibus rebus » a verbo *disserendi* pendet. Halmius legit *dubitantem* quod non satisfacit ; non dici potest « consuetudo dubitans » ; dicendum, ni fallor, *dubitandi*, quod h. l. non convenit.

V, § 21. Hanc sententiam, in media sua oratione si legisset, repudiaturum fuisse nostrum scriptorem suspicor : « Nam virtus in animi bonis et corporis cernitur, et in quibusdam quæ non tam naturæ quam beatæ vitæ adiuncta sunt. » Male ex iis quæ modo dicta sunt nectitur, scriptoris menti non convenit, orationis seriem turbat ; in ejus lectione dissentiunt codices, vix dum perspicua facta est criticorum tentaminibus ; ea omissa nihil quic-

quam desideres; adnotatoris cujusdam igitur non indocti opinionem in ea verisimiliter legimus.

VI, § 23. Post verba « earum rerum » lacunæ signum posuit Halmius, qui censet *adpetitus*, sive *adpetitio* vel simile substantivum, quod sit contrarium superiori *fuga*, aut hic aut post « præscriptione naturæ » intercidisse. At quoddam oppositionis signum, opinor, Cicero addidisset, *tum* scilicet geminatum ; præterea « fuga desidiæ voluptatumque contemptio » non solum dolorum honesti causa, sed etiam rerum congruentium cum præscriptione naturæ *susceptionem* adducit, vel, si mavis, ut supra innuit noster, earum rerum *conservationem*, quæ vox opponi possit superiori *fuga*. — § 24. Pro lectione codicum suspecta *eaque*, Manutii « ea qua », Gruteri « ea quæ », quam admisit Halmius, legam cum Turnebo et Lambino « *ex qua* efficeretur ». — Si velis servare sententiam Lambino non sine causa suspectam, quia h. l. aliena est: « Nihil est enim quod non alicubi esse cogatur », legendum *autem* pro *enim*.

VII, § 26. Legam cum Klotz. : « uti fecisti » pro « ut effecisti ». — Velit Halmius *reliqua* pro *reliquæ*, nam videtur *partes* accusativus ; vere ; sed haberi possit interpretamentum vocis *vim* et omitti. — § 27. Codicum lectio *effecta* mihi videtur servanda. Acad. prior. § 18 *effictum* jungitur cum *impressum*. — Legendum esse censeo subinde : « quæ *corpora* omnia » ; voc. *tota*, quod movit criticorum dubitationes, ortum videtur ex compendio vocis *corpora* male intellecto. Bentley conjiciebat : « tot formas » pro « tota omnia » ; Davis. « formas omnes ». — Libenter legam cum Christio : « *eamque* etiam interire » ; scil. materiam. — § 29. Plerique critici quoddam verbum latere sub voce *inter* censent, quod revera deest ; *fieri* Manutius, *ire* Davisius, *evenire* Turnebus, *intervenire* Halmius cui suffragatur Madvigius (Addend. p. 854) ; ego vero malim addere *esse* post *possit*, et legere *intelligentes*, pro *inter;* fortasse etiam finis vocis latet in voce *quasi* quæ abesse posset; compendia tamen verbi *intelligere* varia et crebra sunt in codd.

VIII, § 31. Bene Christius monet legendum esse : « nec *percipi* ullo modo », pro vulg. *percipere;* agitur enim de mente. — Edidit Halmius : « unum esset *et* constans », quod requirit sententia. — Malim, cum Orellio, *opinabile* quam *opinabilem ;* ut respondeatur græco τὸ δοξαστόν. — § 32. Loco mota particula *quasi* finem hujus §[i] perturbavit, quam sic restituendam esse opinor : « Post argumentis quibusdam et rerum notis *quasi* ducibus utebantur ad probandum et ad concludendum id quod explanari volebant : in qua *si* tradebatur omnis dialecticæ disciplina, id est orationis ratione conclusæ, huic ex altera parte vis dicendi adhibebatur, etc. » Omittam cum Halmio voc. *oratoria*. Si legas « in *qua* si trad. » intelligendum *parte*, cujus ellipseos exempla non desunt, vel legendum « in *quo*. » — § 33. Hæserunt editores et critici in prima hujus §[i] sententia, alii alia conjiciunt, et pro voc. *prima* legunt seu *doctrina*, seu *disciplina*,

sive *ratio*, sive *forma;* mihi vero in mentem venit legere *provincia*, quæ vox non male respondet verbo *tradita;* igitur scribam : « Hæc erat illis *provincia* a Platone tradita, cujus quas acceperim *deminutiones*, si vultis exponam. » Codd. habent *disputationes* quæ vox spuria visa est; edidit Halmius *immutationes*, Baiterus velit *dissupationes;* conf. jubens verba *labefactavit*, *fregit* quæ infra leguntur; si probes vocem *provincia*, non displicebit *deminutiones*, nam invicem se tuentur.

X, § 36. Sententiam : « His ipsis alia interiecta et media numerabat » Christius loco movendam esse censet, et post verba « quæ minoris », (§ 37,) transferendam; Halmio potius adjectitia videtur, quippe etiam de Latinitate suspecta; cui facile adsentior. — § 37. *Quædam* post *locabat* delere volebat Walkerus; idem censeo.

XI, § 39. Madvig. (Addend. p. 854) scribendum esse monet: « Statuebat enim ignem esse ipsam naturam, quæ *quoique* gigneret mentem atque sensum », pro vulg. *quidque*. — § 40. Tuetur Madvig. (Exc. I ad Cic. de Fin., p. 810) participium *iunctos*, quod referatur ad alterum sententiæ membrum : « Sed ad hæc quæ visa sunt et quasi accepta sensibus adsensionem *adiungit* animorum ». At, ni fallor, distinguit Cicero impulsionem oblatam extrinsecus ab animorum adsensione; non debuit ergo eodem uti vocabulo; quare legam, pro *iunctos*, seu *motos*, seu potius *tactos*.

XII, § 43. Legere velim : « Verumtamen esse arbitror »; libri dant : « Verum esse autem arbitror »; Halmius inclusit *autem*. — § 44. Fortasse scripserat Tullius : « opinionibus *inveteratis* omnia teneri », pro vulg. « opinionibus *et institutis*, etc. » — § 46. Legendum est, pro *exposui*, ut jam pridem viderat Durand., *exposuisti;* cui tandem Krische et Halm obtemperaverunt.



DE FINIBUS BONORUM LIBER PRIMUS

Mirifice Cærellia studio videlicet philosophiæ flagrans describit a tuis: istos ipsos de Finibus habet. Ego autem tibi confirmo — possum falli, ut homo — a meis eam non habere. Nunquam enim ab oculis meis afuerunt. Tantum porro aberat, ut binos scriberent: vix singulos confecerunt. Tuorum tamen ego nullum delictum arbitror, idemque te volo existimare. A me enim prætermissum est, ut dicerem me eos exire nondum velle. Hui quam diu de nugis! De re enim nihil habeo, quod loquar. CICERO ad Atticum. Epist. lib. XIII, 21.

I, § 1. Madvigius lectionem tuetur « non *tam* id reprehendunt », quasi Cicero scribere voluisset: non tam ipsam rem quam nimis magnum studium reprehendunt; fatetur tamen egregius criticus exempla deesse quibus confirmetur usus particularum *non tam* pro non *ita*; alii intelligunt sententiam sic complendo: quam illi quibus hoc totum displicet; unde manifestum est inesse orationi ambiguitatis vitium. Davisius ex cod. Oxon. conjecerat *non id tum,* quod non male convenit cum inciso : « si remissius agatur ». Ego malim legere : « Non *iam* id reprehendunt »; scilicet Ciceronis tentamine minus offendi cœperunt. — § 2. Nihil obstat quominus legas: quo a nobis defensa et collaudata est », sublata voce *philosophia,* quoniam præcedit *philosophiæ*; etenim dissentiunt codices in loco vocis dubiæ. — § 3. Manutio præeunte, omiserunt tandem postremi editores, post verba « fruenda etiam », voc. *sapientia* quod Orellius incluserat, Klotz. servaverat.

II, § 4. Interrogandi signum, post verba « dicunt contemnere », ponendum arbitror; quia nonnihil ironiæ in Tullii responso emicat. — Baiter. subinde legere malit : « In quibus hoc primum est quod mirer ». Non displicet. — Hoc incisum : « Latinas litteras oderit » nihil aliud esse videtur quam enarratio eorum quæ supra leguntur : « inimicus nomini romano », quod jam monuerat Davis.; abest a cod. G. Baiter. autem cum Madvigio id

retinuit. — § 5. Legam : « vere, opinor, scriptor tamen », quæ verba Ciceroni relinquo ; aliter locum vix construas. — Legere malim quod dant codd. AB : « *At* utinam ne in nemore », sic melius argumentatio concluditur. — § 6. Si loquendi usum et orationis perspicuitatem motumque spectes, vix dubites omittere verba : « quam legendi sunt », quæ procul dubio debentur cuidam grammatico. Idem censebant Ernestius et censor Heidelb. Fortasse tamen Cicero scripserat : « qui non legendi sunt ». Conf. Tusc. II, 7. — Mihi quoque suspecta videntur, ut Davisio, hæc verba : « iisdem de rebus alia ratione compositis », quæ absunt a tribus codd. Spir., Gud., Paris. 2 ; nihil enim novi exprimunt, nec Tullianam elegantiam redolent. — Magis idoneum locum sane obtinerent si legerentur post verba : « a nostris non legantur » quatuor versus qui, invito Cicerone, opinor, quadam negligentia inserti sunt (§ 8) inter voces *misisti* et *res vero*, ubi orationis seriem turbant.

III, § 7. Fortasse legendum, ut gemina vitetur conditio : « Quamquam *qui* plane sic verterem, etc. » — § 8. Vide notam ad § 6. — Interpretamentum adverbii *ornate* video in periphrasi : « verbis electis », quod proditur etiam particula *que* in tertio loco posita. — § 9. Opinor legendum : « quem quidem multa cum venustate et omni sale idem ridet Lucilius ». Vocabulum *locum* seu *iocum* debetur librariis qui non videbant quo referebatur *quem ;* sic putat Davisius, qui supplet *lusit ;* ego vero recepi insignem codicis Ursini lectionem *ridet*, quam absorbsit *idem*. — § 10. Legam, auctore Davisio : « ut vulgo putant », quod incisum non pertinet ad orationem obliquam, sed παρενθετῶς dicitur.

IV. Nonnihil negligentiæ produnt toties intra paucos versus usurpata eadem vel cognata vocabula *laboribus*, *elaborare*, *labore ; operis*, *opera*, *tanto opere*, *magno opere ;* fortasse scholiastis debentur *opera* et *labore* ante et post *studio*.

V, § 14. Non sequar Madvigium Baiterumque legentes, cum codd. A B, « nam *illud* quidem adduci vix possum » ; lectio vulgata *illuc* magis placet ; nec multum his in minutis codicum valet auctoritas.

VI, § 17. Matthiæ, Bremi, Wopkens, Hand, Madvig, Baiter, etc. servant voc. *primum*, quamvis monuerint Davis. et Ernesti satis esse legere *principio*. Responsum est *principio* referri ad § 22, ubi legitur : « in altera philosophiæ parte » ; voc. *primum* vero referri ad § 18, ubi legitur : « Epicurus autem », etsi omittatur *deinde* quod apparet § 19. Cicero itaque dupliciter arguitur negligentiæ : uno modo quia fere juxta posuit *principio* et *primum*, quod nocet perspicuitati et elegantiæ ; altero, quia omisit *deinde*, quod requirebat sententiarum ordo. Si sub oculis ipsum Ciceronis αὐτόγραφον positum esset, negligentia pateret ; sed verendum ne majorem adhibeas fidem librariis ignaris parumqne sedulis, quam iis qui longam cum scriptore consuetudinem ac familiaritatem coluerunt, et sic evanescat ars critica, cujus in

tali agendi ratione partes nullæ fiunt. Legam cum Davisio: « *propemodum* totus est alienus »; quod confirmatur iis quæ subjiciuntur. — Malim cum Ursino legere *citimum*, quod ponam in loco voc. *ultimum*. — § 19. Omittam particulam *itaque*, quam suspectam habent plerique editores, et addam *atque*, ante verbum *declinare: atque*, *itaque* nonnumquam permutantur. — Multum differunt codd. in lectione sententiæ quam sic exhibent editores nuperrimi: « Quæ cum res tota ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem quod vult ». Mihi vero sic refingi posse sententia videtur: « Quæ res tota tum ficta est pueriliter, tum ne efficit quidem quod vult ». — Si legas: « quo nihil turpius physico », quid prodest addere: « quam fieri sine causa quicquam dicere »? quæ notio jam inest in pron. *quo*, ut jam monuit Lambinus. Non apti sunt loci quos colligit Madvig. scil. I Nat. D. 38, de Orat. I, 169, II, 38 et 302, Acad. I, 45, Verr. IV, 77, Epist. ad Att. IV, 8 B, quia in his locis omnibus requirit lector ut sibi dicatur quid valeat pronomen *hoc* seu *quod*, ante comparativum positum, ut sententiam intelligere possit; in nostro loco autem, quum præcedat statim « sine causa », nihil opus id iterare. — Delendæ sunt voces « sine causa » ante verbum *eripuit*, quibus contradicit sententia quæ deinceps legitur. — § 20. Legendum cum Davisio: « *Sin* aliæ declinabunt, aliæ suo nutu, etc. », etiamsi consentiant codices in lectione *sive*; etenim fatetur Madvigius, qui nihil mutat, « exemplum ejusdem generis nec apud Ciceronem, nec apud quemquam alium prosæ orationis scriptorem inventum esse, imo ne apud poetam quidem. »

VII, § 22. Post verba « falsi putat », inseritur a Manutio, qui tamen repugnabat, hæc sententia: « In tertia vero parte, quæ est de vita et moribus, in constitutione finis nihil generosum sapit atque magnificum », quam Lambinus improbavit, Ernestius ceterique editores vel uncis incluserunt vel prorsus omiserunt, quia abest ab optimis codicibus; nihilominus aliquid excidisse putabant, signumque lacunæ posuerant. Nihil excidisse demonstravit Graserus, in programmate gymnasii Gubensis a. 1847, qui totum hunc locum, ut testatur Baiterus, egregie interpretatus est. Non desunt his in libris alienæ sententiæ quæ ab eodem non rudi enarratori, vel ab aliis haud minus doctis passim adscriptæ sunt, et quibus diutius etiam nunc editores parcunt. — § 23. Omittam verba: « id est voluptatem et dolorem », quæ Madvigium sollicitant; scholion sapiunt et ad sententiam quæ mox legitur spectant. — Non magis parcam huic membro: « ut aliquam ex eo perciperet corpore voluptatem »; tardat enim orationem, neque si id omittas, quicquam desideres, quoniam statim legis: « propter voluptatem ». Præterea codices dissentiunt, et ambiguitas oritur ex gemino ablativo. — § 24. Davisius Bremiusque hanc incommodam ineptamque sententiam notaverunt: « dolores denique quosvis suscipere malit quam deserere ullam officii partem »; iisque adsentitur Madvigius, qui negat tanquam recte scrip-

tam defendi posse; excludentibus vero refragatur, additque: « non tulerunt in Cicerone nævum, at quam multos et in hoc opere et in omni hoc genere ejus scriptorum non viderunt! » Verumtamen non obliviscendum ipsius Ciceronis αὐτόγραφον nobis deesse, plurimasque erroris vel adulterationis causas illud multimodis turpavisse. Equidem sententiam omittam. Baiterus tacet. — § 25. Legendum opinor: « quid historiæ, quid poetarum evolutio, etc. » omissis verbis: « cognitioque rerum », quæ sumpta fuisse videntur ex eadem formula quam infra legis, et qua designatur doctrina illis aliena quibus Triarius Torquatusque student et de quibus nunc agitur.

VIII, § 26. Post verba: « et ille melius », addunt plerique codices: » etenim quoniam detractis de homine sensibus », quæ § 30 leguntur. » Erratum est, ait Madvig., quum ad novam paginam exempli transiretur, » nec postea deleta, quæ prave scripta erant ». Tacet Baiter. — § 27. Deesse videtur oppositio post vocem *maledicta*, quæ fortasse latet in particula *tum*, quod prodit interpolatoris manum; itaque legam: « maledicta *autem* iracundiæ concertationesque pertinaces, indignæ philosophia mihi videri solent ». Genitivus *iracundiæ* pendet a voce *maledicta*; verba *in disputando* quæ abundant absunt a nonnullis codd. — § 28. Quid prodest verbum *disputari*, post *neque enim*, quoniam legitur versu proximo, ante *potest?*

IX, § 29. Merito suspectam habent omittendamque censent Davisius aliique critici istam toties repetitam formulam: « quod summum bonum esse vult summumque malum dolorem », quæ sine ullo perspicuitatis fructu orationem tardat auresque offendit. Baiterus tacet. — § 30. Suspicor hanc clausulam: « Itaque negat opus esse ratione neque disputatione, quamobrem voluptas expetenda fugiendusque dolor sit. » ab hoc loco alienam esse; quia non bene jungitur priori sententiæ, cujus subjectum est *animal*, et particula *itaque* argumentationem inducit quæ nondum expectatur. Magis idoneum locum obtineret post verba: « satis esse admonere »; eam vero omittere malim, quoniam nihil novum, nihil elegans præstat. — Hoc quoque in loco, illa sententia quæ jam § 26 intrusa est: « quoniam detractis de homine sensibus reliqui nihil est », facile careo, quippe quæ menti scriptoris non convenit, qui de animali loquitur in genere, et nondum de hominis sensibus agit. — Libenter legam cum Grasero: « quid *aptum* ad naturam aut contra sit ». Alii legunt: quid *aut* ad naturam, etc. » — Post verba: « a natura ipsa iudicari », nonnulli codices addunt: « voluptatem etiam et per se expetendam esse et dolorem ipsum per se esse fugiendum, » quæ paulo infra leguntur (§ 31) post « intelligi posse ». Notabile sane exemplum earum quibus scatent nostri libri interpolationum. Hoc emblema tacite omisit Baiterus. — Legam ut melius appareat orationis series: « Iam quid percipit, etc. » Codices minime consentiunt; habent AC *ea quid*, alii *ei quid*, *ecquid*, *en quid*, *et quid*. — § 31. Si primam hujus §i sententiam paulo attentius inspicias, mox agnosces hanc male cum ea quæ sequitur

connecti, ubi legas : « alterum esse appetendum », etsi agitur de *voluptate*; insolentius dici : « animo ac ratione », quum mentis rationes intelligantur, quod monuit Madvigius ; præterea, ut jam diximus, hujus sententiæ clausula apud plerosque codices post verba : « a natura ipsa iudicari » legitur § 30, quod effecit homœoteleuton ejusdem verbi ; unde postea additum fuit colon : « sed animo etiam ac ratione intelligi posse », quod jam alia de causa suspectum est. Denique si omittas et hoc colon et ea quæ sequuntur, usque ad voc. *fugiendum*, minime claudicabit oratio ; imo melius procedet magisque perspicua fiet, legendo statim post « sensu iudicari », « Itaque aiunt, etc. »

X, § 33. Particula *et*, ante verba *aut officiis*, aliena videtur plerisque interpretibus atque criticis, quare eam Lambinus delevit ; at tuetur Madvigius subtilius, opinor, quam verius ; locum usurpavisse mihi videtur compendii vocis *scilicet*. — § 34. Non legendum arbitror *voluptatibus*, pro *utilitatibus*, quod habent codices omnes, sed addendum adj. *publicis*, ut respondeat « commodis *suis* ». Latent fortasse, in voc. *utilitatibus*, voces *publicis rationibus* per compendia scriptæ. — Aliquantum discrepare cum reliqua oratione videntur verba : « ut ita ruant itaque turbent, ut, etc. » ; duplex usus particulæ *ut* in tam brevi periodo displicet ; codices inter se non consentiunt, nec critici tentaminibus abstinuerunt. Fortasse legendum : « ut *etsi* ruant *iraque* turbentur, earum motus, etc. » Posterius *ut* ortum est ex fine verbi *turbentur*.

XI, § 37. Verba « quum privamur dolore » non solum orationem tardant sine ullo sententiæ fructu, sed etiam quoddam absonum exprimunt. Cod. B addit *omni*, quod emblematis signum est. — § 38. Quis lector possit, ut vult Madvigius, habere pro subjecto verbi *careret*, *illud ipsum*, id est, ut interpretatur, is ipse status qui aliis medius videtur ? Verius et planius mihi videtur cum Morelio et Manutio legendum « omni dolore carere », omisso *cum*, quod abest in cod. D. — § 39. Codices optimi dant *arridente* ; correctionem Manutii *irridente* merito prætulit Baiterus. — Non satisfacit lectio quam admisit Madvig. « nec ulla pars » ex codd. Pal. I et Erl. quorum alter dat « *nec ulla par* », alter « *ut ulla pars* ». Obscurus est sensus nisi addas *corporis*, et facile intelligitur posse dici de quavis corporis parte quod de manu dicitur in hac sententia. Hoc incisum ortum esse suspicor ex scholio quod in aliis codicibus, « nec ulla pars » legebatur, in aliis « aut alia pars », et cujus in textum admissio absorpsit voc. *sola*. Opinor legendum : « *sola* vacuitate doloris », quod bene congruit cum reliqua sententia : « sine iucundo motu voluptatis. »

XII, § 41. Libenter assentiar Th. Bentleio, Davisio, Walkero, Bremio aliisque istam clausulam : « cui sententiæ consentaneum est ultimum esse bonorum cum voluptate vivere », repudiantibus, quasi ab hoc loco alienam. Idem opinatur Madvigius, sed servat locum quem tuetur exemplis, quibus

id addi potest quod jam vidimus § 24. Mihi autem verisimile videtur hæc Ciceronem prius scripsisse, quod ita vellet argumentationem claudere, sed additis deinceps iis quæ sequuntur, in mente habuisse ea tollere, quod vel ipse neglexit, vel non intellexerunt librarii.

XIII, § 43. Abesse potest, opinor, sine ullo orationis detrimento, hic locus communis: « cupiditates enim sunt insatiabiles » ; tum quia *enim* jam legitur post *sapientia*, tum quia sententia quæ sequitur novam periodum videtur ordiri. — § 44. Facile caream voce *discordiæ*, post *discidia*.

XV, § 49. Non congruit cum scriptoris mente vox *fortitudo*, quæ legitur inter *ne* et *quidem* post voc. *industria*, quippe de fortitudine universe agitur; particulæ *ne... quidem* indicant notionem quamdam graviorem, vel fere contrariam, unde mihi in mentem venit legendum esse: « ne *formido* quidem », quod leviter differt a codicum lectione, et bene convenit cum iis quæ sequuntur. Legitur autem, Tusc. IV, 8, 19, « formidinem esse metum permanentem. — Omittere volebat Orellius *quum*, ante verba : « et mortem contemnit »; Madvigius et Baiterus non obsequuti sunt; ego vero legendum esse censeo: « *quin* et mortem contemnit » quod melius et facilius cum tota sententia concinit.

XVI, § 50. Dant codices: « sed contra semper aliquid », ubi deesse quoddam verbum viderunt critici; lacunam primus notavit Madvig.; alii legebant *alit*, alii *allicit*, ipse conjiciebat *adfert*; equidem opinor legendum: « Sed contra semper *iuvat* », quod bene respondet verbo *nocet* et scriptoris menti. — Lectio ed. princ. Col. *natura nostra* melius scriptoris mentem exhibere videtur, quam codd. « *natura non depravata* ». — Aptam loco corrupto medicinam adhibuisse Madvigius videtur addendo *et* ante *quemadmodum*, et verba « improbitas si », ante « cujus in mente consedit ». — § 51. Verba : « deorum tamen horrent » non sine causa criticos exercuerunt; vix dicas enim vel intelligas deorum conscientiam; itaque legendum arbitror: « *verumtamen* horrent », quippe deinceps de diis agitur. — Quoniam vox *accessio* cum verbo *minuere* non facile jungitur, legam *occasio*, quam vocem eodem sensu usurpat Cicero in oratione pro Mil. c. XIV et alibi. — Incisum « potius inflammat » abesse potest, sine ullo sententiæ detrimento; manum interpretis prodit. — § 53. In seriem orationis perperam irrepsisse mihi videntur ea verba: « Nihil enim desiderabile concupiscunt », tum quia deest verbo subjectum, non enim recte dici potest « cupiditates concupiscunt », tum quia nihil aliud exprimit hoc incisum quam quod jam intelligitur vocabulo *inanes*; denique melius procedit oratio si omittatur.

XVII, § 55. Supervacua etiam et incommoda certe sunt ea verba: « id est in voluptate aut in dolore »; nam *hæc* ante *efficiantur*, refertur ad voces *bonorum* et *malorum*, non autem ad voluptatem et dolorem. Conf. quæ notavimus § 23. — Non video unde pendeant verba *ortum esse, referri;* vix enim haurias notionem verbi *puto* ex verbo *concedo*, quod orationis series non

patitur. Inseram igitur post *referri*, verba *necesse est*, quæ latent in negatione *nec* quam omittam, et subinde legam : « ob eam*que* causam *puto* maiores esse et voluptates et dolores animi quam corporis » ; quod cum proxima sententia bene congruit.— Madvig. inclusit, Baiter. omisit voc. *animo* post incisum ; « ut enim æque doleamus » ; equidem suspicor quemdam interpretem auctoris sententiam complere voluisse addendo : « animo *quam* corpore dolemus », unde ortum est *quum ;* itaque deleam etiam verba : « cum corpore dolemus ». Fortasse legendum : « ut enim æque *utroque* doleamus ». — § 56. Bakius (de Legg. pag. 279) malit cum Ernestio *amittendis* pro *omittendis*. Quid sit *amittere dolores* non intelligo.

XVIII, § 58. Tria, quibus constat hic §, membra verbo *potest* terminantur, quod vix Ciceronis elegantiam decet ; id verbum omittendum censebant Goerenz et Schütz, non improbante Orellio, post voc. *tranquilli ;* facile abesset post verba *beatu esse*. — § 59. Hæc duplex sententia : « Nec vero quisquam stultus non horum morborum aliquo laborat : nemo est igitur non miser », in loco alieno posita est : quippe quæ ante finem argumentationi, conclusionem affert ; aptior locus esset, opinor, post verba : « intercapedo molestiæ » (§ 61). Quo in loco minus offendit posterius incisum, præsertim si legas : nemo *eorum* est non miser ».

XIX, § 62. Facile caream verbis ; « fruitur præsentibus » haustis ex § 60, quæ orationis cursum impediunt et frustra referunt quod jam declaratur his verbis : « præsentibus ita potitur ». — § 63. Merito, post *maximasque*, verba *ab eo* uncis inclusit Baiter., quia absunt a D et a græcis Diogenis, L. X, § 144 ; ego ista prorsus deleam, quia sine dubio orta sunt ex errore librarii qui vocem *ipsius* non respexit, quæ infra legitur. — Post incisum : « In physicis plurimum posuit », legitur : « ea sciéntia et verborum vis et natura orationis et consequentium repugnantiumve ratio potest perspici », quæ definitio unice ad dialecticam pertinet, quam repudiavit Epicurus, cujusque utilitatem Torquatum extollere non decet. Conf. II, 18. Hoc jam viderat Lambinus, at frustra vulnus sanare tentaverat ; itaque Th. Bentleius totam sententiam delendam censuit, cui non obsequuti sunt posteriores critici : errorem fatetur Madvigius, sed abscindendo tuberi repugnat ; Ciceronem negligentiæ arguere mavult, quod jam fecit in loco suspecto § 24. Baiterus tacet. Ego vero, memor horum quæ dicta sunt ad § 22, non dubito Bentleium sequi ; sed deinceps legam : « omnium *enim* rerum natura cognita, etc. » pro *autem*. — Idem bis dixisse fatendum est nostrum scriptorem vel sua ipsius, vel librariorum negligentia, addendo : « ad quam omnia iudicia rerum dirigentur », postquam dixerat : « ad cognitionem omnium ». Fortasse alterutrum, quæ scripserat recognoscendo, delevisset vel deleverat. — § 64. Legere volebat Bremius : « quod qui tollunt », quia non tollebant sensus Academici, sed eorum judicium ; si cum Baitero lectionem vulgatam serves : « quos qui tollunt », delenda sunt verba supervacua : « remotis sensibus ».

— Quanto minus tarda impeditaque hujus periodi postrema pars, quanto dignior Cicerone, ut mihi quidem videtur, si omissis istis inanibus commentariis, qui iis quæ paulo ante scriptor ipse declaravit nihil quicquam addunt, ita legas: « et sedatio animi et moderatio, et, ut modo docui, veri a falso distinctio traditur ». Vix putes Ciceronem ita scripsisse ut in ore Torquati Epicurei « omnium rerum occultarum ignorationem ab magistro sublatam » poneret; moderationem ortam esse ex natura cupiditatum generibusque earum explicatis; denique a cognitionis regula judicium esse constitutum; sive, ut correxit Madvig., *ab eodem illo*, scilicet Epicuro, quod vix ullius lectoris in mentem facile veniet. Hic novum subest exemplum, ni fallor, additamentorum quæ interdum his in libris orationem Tullianam jampridem infecerunt.

XX, § 65. Desunt in quibusdam codicibus, deterioribus quidem sed non sine auctoritate, verba *et factis* quæ abundant post vocabulum *vita*, nisi malis hoc omittere. — Neque desiderem hanc clausulam: « de hominibus dici non necesse est », si quis eam delere velit. — § 67. Quum sibi succedant sententiæ simili modo compositæ, quarum altera præstat particulas *non modo... sed etiam*, altera *non solum... sed etiam*, suspicio mentem subiit, brevique cognovi posteriorem non servandam esse, quippe quæ careat progressu; præterea non facile videas ad quam vocem referri debeat pron. *quibus*, nec quod subjectum tribuas verbis *fruuntur* et *eriguntur*, tum *quod* post vocabulum *temporis* lectorem turbat: denique posterior sententia nihil est nisi prior forma ejus qua § 66 clauditur: « quibus partis confirmatur animus et a spe pariendarum voluptatum sejungi non potest », quam Tullius alteri substituit, ut ambiguitatem et obscuritatem qua prior laborabat vitaret. Manifestum sane exemplum geminæ ejusdem sententiæ enuntiationis, cujus facti alia vestigia signavimus, et alia manent nondum detecta. — § 69. Non satisfacit lectio *voluntates*, quam probat Madvigius, post « consuetudinum instituendarum »; vix reperias exemplum ejusmodi copulationis; præterea offendit proximitas vocum *voluntates* et *voluptatem*; equidem legendum esse suspicor: « consuetudinum instituendarum *causa sodalitates* fieri propter voluptatem ». — Merito Bakio obsequutus est Baiterus delenti *si*, inter *equos* et *ludicra*. — § 70. Legam cum Halmio: « Sæpe evenire videmus », quod mihi etiam in mentem venerat. Baiterus scripsit: « sæpe + enim videmus ». — Lector facile supplebit, post *impediri*, « rationem amicitiæ », quum legat paulo infra « institutionem amicitiæ »; prius itaque omittam.

XXI, § 71. Omisit Baiter., auctore Th. Bentleio, *dixi*, inter *omnia* et *hausta*, quod Madvig. secluserat. — Omittam *quietæ* post *tranquillæ*; satis sunt tria epitheta in asyndeto. Fortasse Tullius substituit prius posteriori, ne aures læderet ob similem terminationem, quod neglexerunt librarii.

LIBER SECUNDUS

I, § 1. Suspectum merito fuit Bremio membrum : « Id est iubere dicere qua de re quis vellet audire », quia non opus erat hæc Ciceronis auditoribus explicari. Id vero tuetur Madvigius, ut alios istius modi nævos in quibus offendunt critici, et quos vir doctus scriptoris negligentiæ tribuit. Equidem in eo libentius videam cujusdam ludimagistri manum. — § 3. Spuria mihi videntur verba : « ex rebus concessis », in quibus dissentiunt codices; quæ si serves, deerit quod respondeat alteri inciso « quid abnuat ». — Omittam cum Davisio verba : « in quærendo », quæ minime requiruntur, nec bene latine sonant quum desit objectum. — Legere malim : « ea res *agitur* ». Cæterum totum membrum : « ut quibusdam in formulis : ea res agitur » commodius legeretur post verbum *disseratur*.

II, § 5. Legam cum Davisio et Ernestio : « nunc *item* ». — § 6. Jam P. Faber suspectum habebat hoc additamentum : « id est, quæ res huic voci subiiciatur » ; incluserunt Davis., Ernesti, Bremi; delevit Schütz; tuentur Orelli, Madvig, Baiter, etc., et servant voc. *res*, licet Cicero utatur paulo supra voc. *vis*. Mihi admodum supervacua videtur ista enarratio.

III. Abundant verba : « id extremum, id ultimum bonorum ». — § 7. Abest a cod. Palat. I, sive A' voc. *sapienti*, ante *assentiri*, quod locum usurpavisse potest pronominis *ei*. Non potuit nisi εἰρωνικῶς Epicurum Cicero sapientem appellare ; nihil necesse est igitur, ut vult Madvigius, supplere « sapienti et quidem ei sapienti qui, etc. » — § 8. Nonius addit *de*, ante « verbis his », unde suspicor ibi latere scholion formulæ « hoc loco »; alterutrum abundat. — Legam cum Bakio : « sensus titillaretur », quo verbo utitur nonnunquam Tullius, qui verbum *hilarari* de sensibus ignorare videtur. — § 10. Ita incerta est optimorum codicum lectio ut nescias utrum legendum sit *qui* an *quæ*, ante verba : « faciat varietatem voluptatum ». Davisius legit *qui ;* equidem hoc incisum deleam, quo omisso nihil quicquam deest in sententia ; imo planius et elegantius procedit oratio.

IV, § 12. Jampridem sustulerunt editores stultum hoc additamentum : « sed forte dicitis », ante verba : « invidiosum nomen est » quod abest a melioribus codicibus; ideoque tacet Baiter. — § 13. Melius legas, opinor, pro « *idem esse* dico », « *id ego* dico voluptatem quod ille ἡδονήν » ; nam, ut monet Madvig., non de re sed de nomine agitur, attamen legebat : « *idem ego* dico ». — Omisit Lambinus voc. *iucunditatis*, post verba « commotionem suavem »; codices optimi in ordine verborum differunt ; unde oritur suspi-

cio de hujus voc. veritate. — Aliena mihi videtur hoc loco ista Stoicorum definitio; nondum enim de voluptatis vitio agitur, sed de hujus vocabuli usu. Præterea vocabulum *sublatio* non legitur alibi apud Ciceronem qui utitur voc. *elatio* (Tusc. IV, 13.) Fortasse eruditus quidam lector istam in margine sententiam adscripserat, egregii scriptoris usus verbis, quæ postea in contextum fluxit. Itaque secludam verba: « Vitiosa res, ut Stoici putant,... magno bono frui ».

V, § 16. Tullianam concinnitatem elegantiamque vix agnoscas in ista parenthesi: « sic enim appellat hanc dulcem, in motu, illam nihil dolentis, in stabilitate »; quæ cæterum lectorem minime juvat, et partim huic loco aliena est. — Codex A, seu Pal. I, dat *cogitationes*, pro *cognitiones*, quem sequar, omittendo cum Bakio voc. *verborum*. — Quid juvant ista exempla: « ut in voluptate sit qui epuletur, in dolore qui torqueatur »? « Tu autem » respondet his quæ supra leguntur: « Quis est enim qui non videat ». « Inter hæc » referuntur ad voces *voluptate* et *dolore*, non vero ad epulas et ad tormenta. — Vocabulum *interiectam* inclusit Madvig.; equidem Baitero obsequar, qui id uncis liberavit; sed omittenda censeo verba « inter hæc ».

VI, § 17. Transferendum esse incisum: « ut iam ante Aristoteles », post voc. *Stoici*, monuit Walkerus, cui assentitur partim Madvig. Omittendum esse *dicebat*, post « similem esse », censet Bake; itaque legam: « Zenonis est, inquam, hoc Stoici, ut iam ante Aristote*lis*, omnem vim loquendi in duas tributam esse partes, rhetoricam palmæ, dialecticam pugni similem, quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compressius ». Conf. de re Orat. § 113. — § 18. Melius, opinor, servetur periodi symmetria, si legas: «et iudicandi, quale sit quidque, rationem, ac viam disputandi»; rectius enim dicitur judicandi ratio quam scientia; nec intelligas quare verbum disputandi vocibus *ratione ac via* definiatur, quum alia verba simpliciter emittantur. — § 19. Formula « ultima bonorum » scriptoris menti non consentanea videtur, debeturque verisimiliter cuidam scholiastæ. Hærebat Bremius in pron. *hæc*, cui Madvig. satisfacere conatur, vereor ne subtilius quam verius.

VII, § 20. Incisum « sicut facit », post « utrumque probat » transponendum esse censeo; vix enim intelligas quomodo, quum de verbis agatur, addi possit: « sicut facit *re* »; non disjungenda sunt verba *debuit, dividit.* Voc. *re* abest a plerisque codd. — Qui potuit Cicero, postquam dixit in Epicuri libro breviter comprehensas esse gravissimas sententias, vividæ interrogationi inutilem et putidam enarrationem addere quæ orationis cursum tardat, lectorisque paululum intelligentis bilem movet? Libenter igitur assentior, non solum Manutio et Davisio qui suspecta habent verba: «id est quasi maxime ratas », sed etiam Rathio qui excludit ea quæ statim leguntur: « quia gravissimæ sint ad beate vivendum breviter enunciatæ sententiæ ». Fatetur Madvigius Ciceronem non nimis eleganter in idem rursus incidere. Tacet Baiterus. — § 21. Consentiunt editores in addendo supple-

mento : « quod reprehenderemus », quo sententia carere nequit, etiamsi desit in optimis codicibus ut in deterioribus. Hæ voces exciderunt propter hoomœoteleuton post « nihil haberemus » ; sed facile restituuntur ope §[i] 23. — Addam libenter cum Lambino et Davisio *te*, post *obsecro*, ex cod. Par. I ; sic melius apparet Triarii motus. — Legere malim : « *quo* mihi quidem visus est, etc. »; etenim exspectas potius hujus interpellationis causam, quam objectum verbi *confitentem*, quod facile suppletur. — Ciceronem scripsisse opinor : « At ille, saneque fidenter », quod melius promptam Torquati in respondendo celeritatem exhibet. Quorsum hæ voces « non pertimuit », si addas statim : « saneque fidenter » ? — Non video quid juvet ad complendam sententiam hoc incisum : « Sed plane dicit quod intelligam », quod admiserunt editores pro lectione optimorum codicum qui dant « quod intelligit ». Facilius ita videbas manum cujusdam Epicurei magistrum tuentis ; at si malis : « quod intelligam », ipsius auctoris manum agnoscas qui sic scripserat I, § 15, et cujus verba in margine adscripta, collationis causa, in ordinem deinceps orationis irrepserunt. — Legam cum Lambino « similiter *ut* si », quoniam exempla desunt ubi *et* huic adverbio jungatur. Legendum, opinor, *dicas*, pro lectione vulgata *dicat*, quoniam nihil tale de Epicuro refertur. — Abest ab ed. pr. Romana et a cod. Par. voc. *luxuriosis*, ante « ullam exceptionem »; abundare mihi videtur ut Lambino.

VIII, § 23. Vix deesse potest, ante « mundos, elegantes, etc. » quoddam verbum, quale *malim fingere*, *fingam potius*, quod respondeat iis quæ supra leguntur : « nolim mihi fingere » ; vel saltem particula adversativa *at* seu *autem* post *mundos*. Ergo lacunæ signum ponam post verba : « putat vivere ». — § 25. Transponendum opinor membrum : « quem libenter cenasse nemo negat », ante voces : « recte miserum » ; sic melius cernitur oppositio inter adverbia *bene* et *libenter ;* faciliusque intelligitur *dicit* cum inciso « recte miserum », ob interjectam sententiam. — Deleo cum Wesenberg. et Madvig. *male*, post *porro*, et addo *bene*, post *non igitur*.

IX. Orationis motus, sententiarumque series melius, opinor, servabuntur, si ultimam §[i] 25 primamque §[i] 26 sententiam transponas. — Placet Ernestii correctio : « sed etiam loquamini, ut decet, frugaliter » ; nisi malis legere *liceat*, pro *deceat*, post *loqui*. — § 26. Legam cum Davisio, probante at non obtemperante Madvigio : « *quod* ne in cena », pro « *quum id* ne, etc. » — Aptius legeretur, post verba : « sed frangere », membrum : « vitiosum est enim in dividendo partem in genere numerare ». — Fortasse duplicis ipsius Tullii enuntiationis vestigia habemus in varietate lectionum quam hoc loco exhibent codices, quorum alii iique optimi dant : « Qui hæc didicerunt quæ ille contemnit, sic solent : duo genera cupiditatum, naturales et inanes ; naturalium duo, necessariæ et non necessariæ. Confecta res esset ». Alii habent : « Qui si diceret cupiditatum esse duo genera naturales et inanes ; naturalium quoque item duo, necessarias et non necessarias : confecta

res esset ». Nonnulli addunt : « Qui hæc didicerunt quod ille contemnit, sic solent » ; adsumptum ex codice alterius familiæ, et fere supervacuum. Madvigius autem rem aliter considerat : « Omissis illis verbis : *Qui hæc didicerunt quæ ille contemnit, sic solent,* quum deesse aliquid facile pateret, id sic suppletum' st ceteraque supplementi causa mutata (et vide audaciam!) *Qui si diceret cupiditatum esse duo genera naturalis et inanis, naturalium quoque item* (Gud. 2 et Bas. om. *item*) *duo, necessarias et non necessarias, confecta res esset.* Quæ potest esse apertior ortæ e mendo et progressæ interpolationis historia ? Et tamen neminem veritas movit. » Non facile tamen interpolatoris manum agnoscas ; oratio nullo nævo laborat, et melius intelligitur conditio si legas « qui si diceret ». Itaque legam in priore modo : « Confecta res est », ut legitur in cod. D.

X, § 29. Hic quoque geminæ enunciationis vestigia reperio. Tullius, opinor, prius scripserat : « Hoc vero maximo argumento est voluptatem illam ne expetendam quidem esse quod eam vol., etc. » Deinde, quo motum orationis augeret et rhetorice magis quam dialectice loqueretur, prætulit sententiam ita edere : « Hoc vero non videre voluptatem illam, qua, etc. » Lectionem vulgatam tueri conatur Madvigius conferendo locum libri IV § 76 « Hoc non videre, etc. » Sed multo brevior ibi est sententia, nec triplicem infinitivum præbet, neque desinit in anacoluthon; ita ut verisimile sit periodum tam implicitam Tullio displicuisse. — § 30. Sententia : « non est enim vitium in oratione solum sed etiam in moribus » nonnihil scholion sapit. — § 32. Voces : « duce natura » abesse possunt, post « specula naturæ ». — Codices omnes dant « animi statum »; jampridem vidit Victorius legendum esse « animum, status », cui obsequuti sunt non cunctanter editores, tum priores tum recentiores. — Sententia : « Itaque in hoc eodem peccat Hieronymus », sine dubio alienum locum tenet ; turbat enim orationis cursum, lectorisque dubitationem movet. Non ita erit si istam supra transponas, post voces « in non dolendo », (§ 31). Conf. § 35.

XI, § 33. Plurima negligentiæ signa notavit Madvig. in hac sententia : « Sic ferarum natura non est illa quidem depravata mala disciplina, sed natura sua », quam prorsus alienam Tullianæ orationi censeo, tum quia male concepta est, tum quod omnino supervacua hoc loco videtur, cui nihil desit illa sublata. Quæ jam vidimus spuriarum sententiarum exempla, quæ postea videbimus, dubitationem nostram movere debent, ita ut caveamus Tullio tribuere quæ nunquam scripsit. — § 34. Nonnulli codices nec deteriores omittunt verba « non valetudinem », quæ facile abesse possunt. — §§ 34-35. Sententiarum series mirum in modum in fine hujus capitis turbata fuit, quam mihi restituisse videor duplici transpositione : *a*) Post nomen *Diodori*, ante verba « una simplex », transferam ea quæ supra leguntur : « Callipho ad virtutem nihil adiunxit nisi voluptatem, Diodorus vacuitatem doloris », quæ alieno prorsus loco inserta sunt, nescio quo casu. *b*) Tum ad-

finem capitis, quasi summam totius loci et quasi aditum ad proxima, transferam sententiam de cujus sensu ambigunt editores et quæ lacunæ suspicionem movit: « His omnibus quos dixi consequentes sunt fines bonorum ». *Aristippo* respondet *Polemoni* et *Aristoteli*, non vero *his omnibus*, quod vidit Matthiæ qui delendum censebat membrum: « His omnibus... fines bonorum ». Omnia nunc facili ratione et naturali gradu procedunt, et Tullius negligentiæ crimine liberatur, quod leviter ei tribuit Madvig.

XII. Ea verba quæ leguntur, post « fecisset idem », ubi editores jampridem nominis *Aristippi* additamentum notaverunt, et in quibus Madvigius denuo Ciceronis negligentiam carpit, nihil sunt aliud quam inepta et falsa vocabuli *idem* explanatio, quod per se planum est. His deletis sana fit oratio. — § 36. Legere malim: « *Iam* quod ait », quia novum adit argumentum Tullius. — Melius, opinor, intelligetur oratio scriptorisque menti respondebit, si, post verbum *iudicare*, ante *nisi quod*, transferas incisum: « *quum* privatarum litium iudices sumus ». — Merito Baiter. cod. A sequitur qui dat *leve*, ut volebat Ernestius, non vero *lene*, quod tuetur Madvig. — § 37. Tullium scripsisse puto: « *Quum* igitur pronuntiabit sententiam ratio, etc. » Codices habent *quam;* ed. Ascensiana ferebat *aequam*, quod Madvig., Baiter., alii admiserunt; at non respondet adverbio *primum*, quod legitur post alterum *pronuntiabit*, neque hic agitur de *aequitate*, sed de veritate.

XIII, § 42. « *Ut* probaret » idem valet quod « quasi probaret ». — Marsus, Lambinus, Davisius, Ernestius, Bremius, Goerenz, Orellius omittunt verba: « ea cum *voluptate* coniungerent »; merito, quia absurdum sonant; sed optimi codices ferunt *honestate;* itaque Madvigius, qui priores editores sequutus erat, hoc incisum restituit legendo *honestate;* aliter enim nescias unde oriatur plusquamperfectum *adprobavisset*.

XIV, § 43. Fortasse Cicero scripserat: « cum Academicis *vincta* luctatio est ». Codd. dant *uncta*, *iuncta*, editiones *incerta*. — § 44. Nonne melius legeretur: « quod e duplici genere voluptatis *commixtus est* », quam « *coniunctus est* »? — Legebatur in editione principe et deinde in plerisque usque ad Gruterum; « ubi si memoria forte defecerit, tuum est ut suggeras », quæ verba desunt in melioribus codicibus, qui habent: « nisi memoria forte defecerit. Honestum, etc. » Ibi latent fortasse geminæ enunciationis vestigia. — § 45. Nonnulli codices seu lacunam seu vocem per compendium scriptam habent inter *causam* et *faciunt*, pro qua alii exhibent *misericordiam*, alii *misericordialiter;* legendum fortasse: « ob eam unam causam *maxime* faciunt ». — Monet Madvigius, conferens locum de Off. I, 11, « facile totius vitæ cursum videt ad eamque degendam præparat res necessarias », participium *consequentis*, vel quod dat codex Erlang. seu B, *praesentis*, supervacuum esse; nihil enim opus est, in statu omni vitæ, futuri temporis significatione. Fortasse legendum: « vitæ *convenientis* ». — Non dari potest

verbo *fecit* voc. *ratio* pro subjecto; requiritur voc. *natura*, quod intelligitur facile, vel alieno loco positum post verba: « cumque iis », adduxit usum voc. *ratio*. Tullius, in Officiis, I, 22, societatis originem *naturae* tribuit, non *rationi*, quod significat paulo infra § 46, « et quoniam *eadem natura* cupiditatem ingenuit, etc. — § 46. Cod. B. omittit *malitiam*, quod abesse potest, aut fortasse synonymum *iniuriam* genuit. — Voc. *ratio* suspicionem iterum movet, post *eadem*, et locum tenere videtur vocis *natura*, quæ intelligi facile potest, vel vocis *mens*, quæ fortasse latet in particula *enim*, quæ legitur in cod. B. Malim tamen legere: « *Mens* enim habet, etc. »

XV, § 48. Vix ferri potest, ut vidit Th. Bentleius, ut fatetur Madvigius, passivum *referantur*, inter transitiva *metiantur* et *dicant*, cui nævo equidem non magis parcam quam aliis qui, invitis codicibus, ab editoribus exclusi sunt, et legam *referant*. — Monente Wesenbergio, Madvig. et Baiter. edunt « sub *hanc vocem* », pro « sub *hac voce* », quod legitur in cunctis codicibus. — § 49. Tum elegantiæ, tum concinnitati obesse mihi videtur incisum: « quum id a multitudine laudetur », quippe idem jam enunciatum est, et paulo post denuo significatur. Editores ad Orellium usque plene post *laudetur* distinguebant, argumentationemque fere rumpebant, quod adduxerat in orationem particulam *tamen*, de cujus loco dubitatur, et quæ fortasse particulam *enim* exclusit ante *ob eam causam*. Omissis igitur illis verbis: « quum id a multitudine laudetur », equidem legam: « tum esse non turpe quod sit ipsum per se rectum atque laudabile; non *enim* ob eam causam illud dici esse honestum, etc. » — § 50. Scite Baiterus correxit: « negat posse *se* vivere »; vere monet non universe dici sententiam, sed ad Epicurum ipsum (sapientem) adhiberi, quod docent proxima verba.

XVI, § 51. Prorsus abundare mihi videntur voces: « his verbis », post voc. *significabantur*. — § 52. Omittunt optimi codices AB verba: « si videretur », post « excitaret sui ». Halmius censet legendum esse: « si cerneretur »; ego his verbis facile careo, neque iis opus est post exclamationem. — § 53. Addam cum ed. Veneta a. 1488, monente Madvigio, part. *quum*, ante verba: « animi conscientia », ob *tum etiam* quæ sequuntur; sed servem voc. *animi*, quod mihi auris videtur flagitare. — Alienas esse opinor voces « non bonum », in quibus aliquid ambigui inest, et quæ male congruunt cum formula « quicquid fecerit »; quum autem codex B det *omnem* loco verbi *oportet*, suspicor legendum esse: non *omnino* timidum aut imbecillo animo fingi *oportet* illum virum, qui, etc. » — § 54. Fortasse legendum: « profectus *est* in exsilium Tubulus statim, non respondere ausus ».

XVII, §§ 55-56. Alienum locum (in § 56) occupavisse mihi videtur sententia: « Si magnae res, magna hereditas agetur, quum pecunia voluptates pariantur plurimæ », quod confirmatur optimorum codicum lectione qui habent « *idemque* erit Epicuro, etc. »; unde patet verba quæ sequuntur non prioribus convenire; idoneum vero obtinebit locum hæc sententia si trans-

feras eam paulo supra (§ 55), post verba « est quærenda vobis ». At hic reperies vestigium prioris enunciationis, quam Tullius admiserat, cui clausulam addiderat: « est enim effectrix multarum et magnarum voluptatum »: cui clausulæ deinde valedixit ob alteram clausulam: « quum pecunia voluptates pariantur plurimæ », qua idem significatur. Sic vides quare in alium locum posterior sententia mota fuit, et unde turbæ ortæ sunt, quibus, ni fallor, medicina reperta est. — § 56. Nihil deesse mihi videretur in sententia, omissis verbis: « cum causa », seu « animi causa », in quibus hærent critici; etenim satis est dicere de sapiente *dimicabit*, nec necesse addere causam quæ jam enunciata est, nec modum, nec hostem. Verba dubia debentur, opinor, vel scholio, vel ipsius Ciceronis calamo, qui prius fortasse scripserat: « commodi maximi causa », pro « magno aliquo emolumento commotus »; *commodi* absorptum fuit voc. *commotus*, *maximi* mutatum fuit in *animi*.

XVIII, § 59. Forsan Cicero hexametri initium vitare voluit legendo: « sed *impunite* tamen ».

XIX, § 60. Superflua Tullianæque elegantiæ parum consentanea mihi videntur verba: « vel temperantiam, quæ est moderatio cupiditatum rationi obediens »; differunt codices, tum in ordine, tum in verborum numero. — § 61. Addam cum Bremio Baiteroque part. *ita*, inter *malo enim* et *dicere*, quæ fortasse alicujus librarii negligentia inserta fuit superiori versu, inter *si* et *vis*, ubi facile abesse potest. — Vocabulum *consulatus* additum fuit, opinor, ob voc. *collega*; velim exempla hujus formulæ: « princeps consulatus ». — Cum Davisio et Madvigio legam: « quum se devoverat ». Parvam in talibus auctoritatem habent codices. — Hæserunt critici in hoc inciso: « ubi ut eam caperet »; alii legunt: « ubi autem caperet »; alii « nam ubi eam caperet ». Omittendum esse pronomen *eam*, ad quod nihil refertur, censeo, et legendum: « ubi enim caperet », sc. *voluptates?* — *Natus* hic est participium, quoniam sequuntur vocc. *ex eo;* deest igitur relativum pron. Itaque legendum esse puto: « *nec qui* porro *est eo* natus », pro *neque*.

XXI, § 67. Ægre jungitur iis quæ præcedunt membrum: « qui voluptatis nomen audire non possent », tum ob conditionale *possent*, quod monuit Madvig., tum ob pronomen *qui*, quod referri videtur ad substantivum *laboribus;* postremo verbum *audire* sententiæ minus aptum est. Præterea periodus ipsa claudicare videtur, quia brevior est conclusio. Omisso hoc membro nihil desideratur; at in eo vestigium reperio scholii in quo legebatur, interpretandi gratia vocabuli *laudatores:* « qui voluptatis nomen *laudare* non possent ». — In deterioribus codicibus, post « quantos viros », legitur: « habere testium sat est », quæ verba merito exclusa sunt. — § 68. Verba « quum disseras » mihi speciem scholii præbent; facile enim suppleri possunt, nec non auribus displicent. Dissentiunt codices; alii habent *si disseras*, alii *desideras*. — § 69. Novissima hujus capitis sententia: « Nos quidem virtutes sic

natæ sumus, ut tibi serviremus ; aliud negotii nihil habemus », de cujus clausula ambigunt librarii, cum antecedentibus nec orationis forma nec cursu cohæret : nihil prorsus addit totius loci virtuti, mihique videtur sententia græca ex libro Cleanthis desumpta atque in sermonem latinum conversa, sive ab ipso Tullio qui ea uti volebat et consilium mutavit, sive ab alio quodam qui eam in margine scripserat e regione verborum : « ad aurem admonerent », unde in contextum irrepsit. Tacent critici.

XXII, § 70. Differunt codices de membro : « qui in voluptate summum bonum ponat » ; sic habent AE ; B, « qui voluptatem, etc. » ; ceteri plerique dant *putat ;* mihi quidem videtur orationis motui obesse, nec eo omisso quicquam desideres. — Nonnihil offendit repetitio verbi *pollicetur ;* fortasse Cicero, hic ut alibi, scripserat, pro secundo, *profitetur.* Conf. Epist. Fam. V, 8. — Abundare mihi videtur voc. *rebus*, post *his enim*, ante *detractis.* — § 71. Jampridem viderunt critici voc. *certissimum* alienum ab hoc loco esse, nec bene sonare inter *certeque*, *certaque ;* ideo Th. Bentleius legere volebat *turpissimum*, Bremius *perniciosissimum*, Klotzius *perversissimum*, alii *nocentissimum*, *pravissimum*, quæ omnia mentis vitium significant, quum requiratur argumentationis ; equidem legam seu *versutissimum*, seu *solertissimum*, unde facile oriri potuit suspecta lectio *certissimum.* — § 74. Nonnulli codices non deteriores omittunt *quod*, inter *nisi* et *turpis ;* mihi vero tota interrogatio : « cur, nisi quod turpis oratio est ? » spuria videtur et facile supplenda ; qua omissa oratio multo magis expedita est ; et quæ εἰρωνικῶς subjungit Tullius sic melius cum anterioribus conveniunt.

XXIII, § 75. Quid juvat, post verba : « hoc enim identidem dicitis », istud membrum addere : « non intelligere nos quam dicatis voluptatem », quod orationem tardat effetamque præstat ? Idem dicendum de inciso « quum dicitis », post *individua*, quod omittunt boni codices, probantibus Manutio et Lambino. Quid valet *omnibus*, post vocem *passeribus ?* Quod novit unus passer id sciunt omnes. Hoc ineptum *omnibus* cuidam indulgentiori ludimagistro debetur, qui lectores admodum rudes monebat omnibus notum esse quod passeres ipsi norunt.

XXIV, § 77. Sententia qua orditur caput XXIV : « Vide igitur ne non debeas verbis nostris uti, sententiis tuis », in alieno loco stat, quod demonstrat particula *igitur*, quam addunt plerique codices, inter quos optimi. Mihi videtur transferenda ante membrum quo terminatur § : « ne id non pudeat sentire quod pudeat dicere ». — § 78. Confusionem quam produnt et codicum varietates et criticorum tentamina ortam esse suspicor, tum ex translatione verborum, tum ex interpolatione, quibus sic legendo medendum esse censeo : « Et prodest, inquis, mihi eo esse animo, etenim sequor utilitatem. — Immo videri fortasse ; qui autem esse poteris, nisi te amor ipse ceperit ? quod non subducta, etc. » Dant codices, post adv. *fortasse :* « esse enim nisi eris non potes », quod vix e Ciceronis manu fluxisse credas ; itaque Graser. ingeniose

conjecit: « esse enim nisi videris non prodest », quam conjecturam in contextum admisit Baiter.; non vero illam ejusdem critici: « at enim sequitur utilitas », quæ tamen bene consentit cum iis quæ mox leguntur. — § 79. Manutius, Lambinus, Davisius damnant hæc verba: « utilitatis causa expetenda », quæ ab nonnullis codicibus absunt; mihi vero tota sententia: « quid enim de amicitia statueris utilitatis causa expetenda vides », male cum iis quæ antecedunt congruere videtur, dialogi motum tardat et ocius conclusionem adducit; itaque aptum ejus locum esse post verba: « ut moriatur optabis » suspicor, ubi bene præparat quæ sequuntur. — Ciceronem scripsisse credo: « Vadem te ad mortem dabis pro amico, ut Pythagoreus ille Siculo tyranno ». — Fortasse scripserat: « quo *vos* ambo una necaremini, non precarere? » Compendium voc. *minus*, ob frequentem hujus particulæ usum post *quo*, facile habitum fuit pro signo pronominis.

XXV, § 81. Non satisfacit Madvigius tuendo formulam *vel studio* quam damnaverunt Davis. et Ernesti; deest enim adj. quod respondeat adjectivis *omni*, *quavis*, *ipsa*; neque probandus est usus particulæ *vel* ante verba: « in ipsa virtute », si aliter eam intelligas quam ante « quavis scientia »; Ciceronem scripsisse censeo; « *ut* in ipsa virtute optimum quidque rarissimum est ». Baiterus tacet. — Non consentiunt codices in numero et ordine particularum *et*, post verba: « bonus vir fuit »; legam ut Cicero alibi scripsit: « et multi Epicurei fuerunt hodieque sunt et in amicitiis fid., etc. » Conf. de Cælio, 3; de Orat. II, 103.

XXVI, § 82. Geminæ enunciationis vestigium deprehendi potest in isto membro, quod suspectum habent critici: « quod sine ea tuto et sine metu vivi non posset, nec iucunde quidem posset »; Manutius legere volebat: « quod *si* sine ea, etc. » Madvigius conjicit: « quod *quum* sine ea.... *ne* iucunde quidem posset »; sed offendit duplex *posset*. Ciceronem prius scripsisse suspicor; « quod sine ea tuto et sine metu vivi non posset », deinde, quia sic Epicureis non satisfaciebat, ita fere sententiam expressisse: « quod sine ea non modo tuto, sed ne iucunde quidem vivi posset »; unde librarii, capite neglecto, clausulam hauserunt quam priori sententiæ formæ adjunxerunt. Deest in cod. B incisum: « nec iucunde quidem posset », fortasse ob homœoteleuton. — Differunt codices quorum plerique habent « quod *dat* », unus *datur*, meliores cum Lambino *dant;* ego vero hæc verba omittam, quæ facile suppleri possunt, nec bene sententiæ satisfaciunt; at legam: « mihi enim satis est, *quod* ipsis non satis »; male collocatum *quod* adduxit verbum *dat*, *datur*, *dant*. — § 83. Nonnihil abundare videtur in his formulis: *sua sponte*, *vi sua*, *ex se*, *propter se*, quarum duæ posteriores interpretationis speciem habent. — § 84. Incerta codicum lectio quorum alii dant « de laudibus amicitiæ »; alii « de laude amicitiæ », suspicionem movet de origine hujus commatis.—Melius fluet oratio magisque perspicua, opinor, evadet, si ultimam sententiam: « Et tamen *non* tantis vectigalibus ad libera-

litatem utens etiam sine hac Pyladea amicitia multorum te benevolentia præclare tuebere et munies», post vocabulum *granaria* transponas, restituendo *non* quod habent multi codices non deteriores; manifeste enim agitur de vectigalibus ex granariorum locatione. Præterea conclusionis manifestam speciem habet sententia: « ad eas enim res ab Epicuro præcepta dantur »; unde facilior fit transitus ad ea quæ sequuntur.

XXVII, § 86. Libenter caream hac sententia: « item contra miseriam omnem in dolore », ubi dissentiunt codices, quorum alii habent *infelicitatem* pro *miseriam*, alii *indole* pro *in dolore*. Fatetur Madvig. eam sententiam huic loco fere alienam esse, ut aliæ nonnullæ his in libris, quas Tullii negligentiæ, quam librariorum vel scholiastarum pravæ sedulitati mavult tribuere.— Quo fine inscribitur hic ea sententia: « Nemo igitur esse beatus potest »? nec congruit cum totius libri consilio, nec convenit cum iis quæ aut supra aut infra leguntur, ut XXXII, 104, « Sapiens autem semper beatus est ». Hausta est procul dubio ex Tusc. disp. II, 16, V, 40, forsan eo consilio ut Cicero Ciceroni opponeretur. Abest a cod. Gud. 2 et a Marsi editione; quæ omissio orta est, secundum Madvig., propter repetitum *potest*. — § 87. In iis quæ statim leguntur vix legitimum sententiarum ordinem reperias, nec procedere recto gradu oratio videtur: hæc sententia quidem: « nec potest quisquam alias beatus esse, alias miser: qui enim existimabit posse se miserum esse, beatus non erit », parum valet post illam sententiam multo graviorem: « nec appellatur omnino vita, nisi confecta atque absoluta », quam disjungit perperam ab iis quæ sequuntur: « nam quum suscepta semel est beata vita, etc. » Melius, opinor, scriptoris menti responderet, si legeretur paulo supra (§ 86) post verba: « amissis illis sit miser »; sic omnia bene congruerent. — Codices optimi omittunt *nec*, ante *diuturnitatem*, et ignoratur quo referatur *quidem;* itaque hærent critici in hujus sententiæ constitutione; equidem legam: « negat Epicurus diuturnitatem temporis ad beate vivendum *quicquam* afferre ». *Quidem* oritur verisimiliter ex *quicquam* male lecto et male posito, cujus absentia adduxit voc. *aliquid*, quod vix placet post *negat*. In altera sententiæ parte intelligendum est *dicit*. — § 88. Aliena videntur hoc loco hæc effata: « At enim hic etiam dolore ». « At eum nihili facit; ait enim se si uratur quam hoc suave dicturum! » etsi manum Tullianam produnt; fortasse ex alio libro hausta sunt, ut ex lib. V § 80, seu ex Tusc. disp. II, 17. His demptis nihil deest; imo oratio et argumentatio sine impedimento procedunt. — § 89. Vix in ore Ciceronis Torquato respondentis ferri potest hæc interrogatio: « In qua (*seu* in quo) quid est boni præter summam voluptatem et eam sempiternam? » Tribuenda mihi videtur cuidam lectori Epicuri partes tuenti.

XXVIII, § 90. Opinor legendum esse: « *laudo* dicentem », pro *audio*, et subinde « non laudo » pro « non *audio* ». Legitur supra: « laudarem etiam », et nonnunquam permutantur *audio* et *laudo*. Conf. supra § 67, de Nat. D. I, 83.

XXIX, § 94. Ciceronem sic scripsisse suspicor : « *Hunc* Epicurus *compellet*, si potest, *cui* E viperino, etc.... cient, Philocteta ! si gravis dolor, brevis ». Omittendo verba *sic Epicurus*, quæ inutilia fiunt, et ob depravatam lectionem eorum quæ præcedunt addita esse videntur. — § 95. Fortasse Cicero prius scripserat : « turpe esse debilitari dolore, frangi, etc. » quod neglexit quum graviorem formam præposuisset : « viri non esse debilitari, etc. » Utramque formam librarii commiscuerunt, quod minuit orationis motum.

XXX, § 97. Aliquid addendum esse vidit Madvig. post « refert tamen, quo modo », et proponit *beatus*, quod Baiter. admisit ; ego malim, quod melius cum codicum lectione et cum Epicuri epistola conveniret, seu : « Beatus *dies* sibi videbatur esse morienti », seu, quod brevius: « *Laetus* sibi videtur esse moriens ». — Verba « magna laus » melius legerentur, opinor, post *laetitia*.

XXXI, § 99. Legam : « *incitatam* voluptatibus », quo verbo sæpius utitur Tullius cum agitur de voluptate. Optimi codices habent *invitatam*, deteriores *mutuatam*, seu *mutatam*. — § 100. Aliena a Ciceronis consilio ea parenthesis mihi videtur : « quamquam ea cum summa eius philosophiæ nullo modo congruebat »; quippe hanc epistolam non laudaret si cum Epicuri doctrina congrueret ; itaque legendum arbitror : « quamquam ea cum sana, *seu* sincera philosophia, *seu* summa philosophiæ (omisso *ejus*) nullo modo congruebat ». Codices non consentiunt, alii habent *philosophi*, alii *philosophia*. — Legere malim : « *at* breviter *aperteque* », quia inest oppositio inter *multis verbis* et *breviter*. *Aperteque* melius est quam *apteque*, ut videre est ex iis quæ sequuntur. — § 102. Nonnulli codices habent : *verene idemne ;* ed. Marsi, *vere idemne ;* optimi codd. quos sequuntur Orelli, Madvig, Baiter : « Quid ? idemne potest, etc. » Fortasse legendum : « Quid vero ? idemne potest, etc. » — § 103. Non facile intelligo formulam : « res tota », cujus exempla desidero. Fortasse Cicero scripserat : « res nota », seu « res trita », seu « res stulta ».

XXXII, § 104. Optimi codices omittunt *revertamur*, post verba « sed ut ad propositum », quod facile intelligi potest, ob parenthesin quæ statim sequitur. — § 107. Legere malim « ad corpus », quam « ad corporis voluptates ac dolores », quæ verborum geminatio auribus displicet et orationis cursum tardat. Omittit ea verba cod. B propter homœoteleuton ut alibi. — Ciceronem prius scripsisse suspicor : « Te igitur, Torquate, ipsum per se nihil delectat ? » postea vero, quo majorem orationi sermonis similitudinem daret, sic correxisse : « Nihil tene delectat unquam ? Video quicum loquar ». Librarii autem utramque formam servaverunt, ordine mutato ; quorsum enim usus nominis, postquam dixit : « video quicum loquar » ? — § 108. Spuriam esse istam sententiam Bremius vidit : « Animo voluptas oritur propter voluptatem corporis, et major est animi voluptas quam corporis ; ita fit ut gratulator lætior sit quam is, cui gratulatur ». Itaque eam uncis

incluserunt plerique editores recentiores; Gœrenz et Otto soli sustulerunt, quibus equidem valde assentior. — Verba « omnibusque partibus maiores », quæ leguntur inter *percipiet* et *quam corpore* nimiam sedulitatem produnt et videntur abundare. — § 109. Madvigius demonstravit quam inconcinne procedat oratio in hac sententia : « Quid, si etiam bestiæ multa faciunt, duce sua quæque natura, partim indulgenter vel cum labore ; ut in gignendo, in educando perfacile appareat, aliud quiddam iis propositum, non voluptatem : partim cursu et peragratione lætantur, etc. » quod, ut solet, negligentiæ Ciceronis tribuit; tum quam frustra malo mederi conati sint critici indicavit; ipse etiam conjecerat : « *partui* indulgentes », cui medelæ justis de causis valedixit. Mihi vero displicet negligentiæ crimen tam temere Tullio illatum, et transpositionis ope speravi legitimum sententiæ ordinem restitui posse; itaque membrum : « partim indulgenter vel cum labore », post verba « non voluptatem » transferam, sic leviter immutatum : « partim *indagantur* vel cum labore ». Si quis dubitet de forma *indagantur*, quæ tamen apud Varronem legitur, possit legere : *indagantes* et deinceps *laetantes*, *imitantes*, quorum primum minus differt ab *indulgenter*. — § 110. Fortasse Cicero scripserat : « Videmus *quidem* in volucrium genere » et mox « in multis etiam desideria », omisso altero *videmus*.

XXXIV, § 113. Dissentiunt codices in verbis « in te quidem infinita »; A sic habet; BE *inde*, celeri *vite;* ego legam : « *certe* quidem infinita ».

XXXV, § 118. Suspicor Ciceronem scripsisse : « *remque* omni cogitatione pertractans », non vero *eamque*, scil. mentem, quod vix intelligas. — Legam cum Madvigio : « de hominibus optime mererere ». — Abundare mihi videntur verba : « ærumnas etiam in deo », ob particulas *sic* et *vel* quæ prius leguntur.

LIBER TERTIUS

I, § 1. Vix omitti posse reor participium *titillantem*, quod legitur in plerisque codicibus, nec bene intelligo quid valeat « dulcedo corporis »; opinor legendum esse : « dulcedinem corpus titillantem »; compendium voc. *corpus* originem dedit errori. — § 2. Nullo modo orationi noceret omissio sententiæ : « Nec vero ullum probetur ut summum bonum, quod virtute careat, qua nihil potest esse præstantius »; imo prodesset, quoniam scriptoris menti minime respondet, qui modo dixit : « quærendum est ubi sit

illud summum bonum ». Præterea, contra hujus ætatis et Ciceronis usum, quod monet Madvig., *ullum* substantivum habendum erit, si serves *ut*, quod dant omnes codices, apud quos etiam legitur *posset* seu *possit*, quod vitiosum est. — Legere malim, cum cod. B : « quæ *vero* de voluptate dicuntur », pro « quæ *enim*, etc. » — Lambinus legere volebat *refellunt*, pro lectione vulg. *repellunt*, quæ hoc loco aliena est; atqui *refello* non dicitur de oppugnantibus. Fortasse legendum *reperiunt*. — § 3. Abundare, non modo voc. *rerum*, sed totum membrum : « quum constituantur earum rerum vocabula, quæ in quaque arte versentur » fatetur Madvigius, ubi *quæ* designare videtur *vocabula*, quum ad voc. *rerum* referatur; atqui illud servat, nec uncis includit; mihi vero spurium videtur, ideoque illud omittam, sine ullo sententiæ detrimento. — § 4. Malim legere cum Walkero : « quæ ipsi Græciæ *nova* sunt »; codices enim omnes habent *sunt*, et plerique omittunt *non* ante *nota*. Jam Tullius usus est vocc. *nova*, *novitatem*.

II. *Has*, ante *artes*, uncis inclusit Madvig., quod voc. omittunt codices Erl. seu B, et Spir. — § 5. Differunt codices de loco voc. *novorum*, quod mihi videtur abundare.— Merito sustulerunt voces *a Græcia*, post *concessum*, Madvig., Klotz, Baiter, etsi legantur in optimo codice A. — Nonnulli codices dant : « quanto id *vel* nobis magis, etc. » quæ particula fortasse orta est ex lectionis varietate, in margine aut inter versus scripta, ubi notabatur *vol* pro *va*, in voc. *pervagatis*, legendum esse. — Optimi codices habent : « *Etsi quoniam* sæpe diximus », ceteri « *etsi quod* », etc. Madvig. et Baiter. ediderunt : « *Et quoniam* s. d. » Mihi vero claudicare sententia videtur, quod non ideo elaborandum est Romanis ut sint Græcis superiores, tum in suis tum in illorum ipsorum artibus, quia Tullius sæpe dixit Latinos in verborum copia esse Græcis superiores, sed quia id rationi consentaneum est; itaque legam : « Et si (quod sæpe diximus, et quidem....... quam nostros haberi volunt) nos non modo non vinci a Græcis verborum copia *verum est*, sed esse in ea etiam, etc. » Quæ formula nonnumquam usurpatur, et hic a voc. *verborum* fortasse absorpta fuit. — § 7. Vix abesse potest adj. ante voc. *aviditas;* sed *inexhausta* quod legitur in plerisque codicibus, sed non melioribus, parum satisfacit; legam *infinita* seu *inaudita*, seu *inusitata*, quæ sæpius apud Tullium leguntur. — Verbum *helluari* sine complemento usurpari solet, quare omittam *libris*, quod facile abesse potest, et legam *librorum* ante *copia*. — Legam cum Lambino : « in tam *præclara* re ». — § 8. Assentitur Madvigius Schützio conjicienti legendum esse : « Nam et *avunculi* eius memoria moveor », pro *avi;* etenim avi memoriam vix servare Cicero poterat : attamen summus criticus errorem Tullio tribuere mavult quam librariis; ideoque illum in contextu manere sinit. — Vere, opinor, addit Halmius *L.* ante *Lucullus*. — Legitur in margine editionum Lambini : « Fortasse vir cum rebus omnibus excellens. » Klotz edidit « omnibus [rebus] exc. » Ego malim : « quum *virtutibus* omnibus excel-

lens », omittendo *vir*. — § 9. Fortasse legendum : « Sic *sit* seu sic *esto*, et quidem diligentius, etc. » Lambinus legebat : « Sic est ».

III, § 11. Multum differunt codices in eo responso quod sic edidit Baiter.: « Egone quæris, inquit, quid sentiam ». Optimi habent *inquam*, plerique *scire quid sentiam*; unde suspicer Ciceronem scripsisse : « Egone? inquit », et reliqua orta esse ex additamentis scholiastarum haustis ex priore sententia. — Multa negligentiæ signa vidit Madvigius in ea sententia quam sic edidit Baiter. : « Ceteræ philosophorum disciplinæ omnino alia magis alia, sed tamen omnes quæ rem ullam virtutis * * expertem aut in bonis aut in malis numerent, eas non modo nihil adiuvare arbitror neque † affirmare, quo meliores simus, sed ipsam depravare naturam ». Equidem iis nævis mederi tentavi, geminæ translationis ope, et vocabulum omissum restituendo; sic legam : « Ceteræ philosophorum disciplinæ, alia magis alia, sed tamen omnes quæ rem ullam *omnino* virtutis expertem in bonis aut *vitii* in malis numerent (*vitii* quod restituebat Davis. latet in altero *aut*), eas non modo nihil adiuvare arbitror quo meliores simus, neque *confirmare*, sed ipsam depravare naturam. »

IV, § 12. Hæc oratio, inquit Madvigius : « Sic exæquaverunt ut in utramque partem ita paria redderent, uti nulla selectione uterentur, hi virtutem ipsam sustulerunt », non caret justa reprehensione. Qua liberari possit, opinor, pace cl. viri dicam, si legas : « *ista* paria redderent, *et* nulla selectione uterentur. » Codices enim minime consentiunt, quidam, B E, habent, *et* pro *ut*, quod ortum est ex mutatione voc. *ista* in *ita*; *ista paria* autem referuntur ad eas res quæ secundum naturam sunt. — § 15. Optimi codices dant : « Nam cum in Græco sermone hæc ipsa quondam rerum nomina novarum non videbantur », ubi vel lacuna, vel mutatio cujusdam vocabuli sensum sustulit; alii alia conjiciunt; equidem sequar Ernestium qui legit, ut est in editione Marsi : « nomina nova *tum* videbantur », sed omittam voc. *rerum* ortum ex genitivo *novarum*, et pro *cum* malim legere *quoniam*.

V, § 17. Codices omnes, præter Ursini cod., habent verba « diligendi sui », post voc. *naturalibus*, quæ sustulerunt editores recentiores. Fortasse scripta fuerunt in margine, quasi scholion voc. *principium*. — Non servem, ut plerique critici, verba : « quas vel comprehensiones vel perceptiones » quæ absunt ab optimo codice A; quia hæc interpretamenta, quæ hausta sunt ex Acad. prior. §§ 17, 21, non minus perspicua sunt quam vox græca καταλήψεις; vox latina autem *cognitiones* non idem semper valet, et ambiguitatem nonnumquam gignere potuit. — § 18. Alieno loco insertas esse sententias, quæ leguntur post verba *constitutum et via*, et ante « hæc dicuntur fortasse ieiunius », miror neminem hactenus monuisse; nec facile quis dicat quomodo cum iis quæ de artibus docentur jungi possint. Præterea nec orationis concinnitate nec elegantia commendantur; expectes enim *arbitramur* pro *arbitrantur*, *pavonibus* pro *pavoni*. Locum similem, sed

orationi magis aptum leges § 62 : « Ut enim in membris, etc. » — § 19. Legam, auctore Davisio, « istius modi *enim* », pro *autem*.

VI, § 20. Minime verisimile puto Tullium usum esse eadem voce *selectio*, ut designaret notiones tam dissimiles; nec intelligo quid valeat hæc formula « cum officio selectio »; itaque legendum arbitror *collatio*. Præterea quædam deesse in hac sententia opinor, quæ sic suppleam : « Sequitur deinceps *eorum* cum officio *collatio*; deinde *ea vitæ ratio* perpetua, tum ad extremum constans consentaneaque naturæ, in qua primum inesse incipit et intelligi quid sit quod vere bonum possit dici. » Sic sententia gradatim procedit, nec ab initio dicitur quod deinceps enarratur. — § 21. Dissentiunt codices, etiam optimi, in verbis quæ post « referenda sunt » leguntur : A E habent « omnia honeste facta », B « omnia honesta facta », unde colligas id incisum spurium esse, et ortum ex scholiastæ adnotatione, qui explicare voluit voc. *omnia* quod legitur ante « referenda sunt »; reliqua sententia, in qua unice de honesto agitur, hoc additamentum respuit; at legendum videtur « *ipsum* honestum »; *ipsumque* ideo dant codices quia insertum fuit perperam scholion, nec eam auctoritatem habet hoc voc. quam ei assignat Madvigius. Non magis parcam verbis : « quod solum in bonis ducitur »; plerique codices, etiam A , omittunt *solum*, E habet « *quo* solum »; omnino supervacua sunt hæc verba, ut fatetur Madvigius, qui Ciceroni festinanti et in notionum stoicarum spinis hærenti, quæ hoc loco nullæ sunt, mavult hos nævos tribuere, quam librariorum præposteram sedulitatem agnoscere. — § 22. Ursinus, Marsus, Madvigius, Baiterus delenda esse judicarunt, vel uncis secludenda, verba : « sic illi facere omnia quæ possit ut collineet. » Matthiæus delet etiam membrum : « sicut nos ultimum in bonis dicimus. » Fr. Jacobs. (in Philolog. VI, p. 487 s.) scribendum esse censet : « sicut illi facere omnia, etc..... ut collineet »; sed verba quæ sequuntur : « Huic in eiusmodi similitudine..... non expetendum »; et falsa esse ait neque a Cicerone potuisse scribi. Totam sententiam si attentius consideres, alterutrum membrum abundare agnosces, novumque vestigium deprehendes geminæ ex ipsius Ciceronis manu enuntiationis, quæ ab librariis in orationis cursu, sine discrimine, inserta fuit. Sic prius fere scripserat, opinor, Tullius : « *Et*enim si cui propositum sit collineare hastam aliquo aut sagittam, sicut nos ultimum in bonis dicimus, sic ille *faciat* omnia quæ possit ut collineet. » Deinde orationem ita mutavit sententiamque complevit : « *Ut* enim, si cui prop..... aut sagittam; huic in eiusmodi similitudine omnia sint facienda ut collineet, et tamen, etc. »

VII, § 23. Verba : « itemque et ratio et perfecta ratio » sic nude sine data causa adnexa, hoc loco spuria videntur; nisi legas cum Bakio (de Legg. p. 337 s.) : « itemque ratio ad perfectam rationem ». — § 24. Transferam, monente Madvigio, post verba : « id est artis effectio », primam §i 32 sententiam : « Sed in ceteris artibus cum dicitur artificiose, posterum quodam

modo et consequens putandum est, quod illi ἐπιγεννηματικόν appellant: cum autem in quo sapienter [dicimus] id a primo rectissime dicitur. » « Omnino enim, ait eximius criticus, hæc hoc loco minus commode posita et potius cum illis quæ § 24 explicabantur conjungenda fuisse videntur ». Unde suspicio oritur perturbationis admodum vetustæ in optimis horum librorum codicibus, quæ vix ad scriptorem ipsum pertinere possit. Tacet Baiterus. — Qua translatione facta melius intelligitur quare scripsit Tullius : « et tamen est etiam *alia* cum his ipsis artibus sapientiæ dissimilitudo », pro quo Bremius legere volebat *aliqua*. — Ultima § i sententia : « Sola enim sapientia in se tota conversa est, quod idem in ceteris artibus fit », videtur etiam referri ad ea quæ a § 32 desumpta sunt, et aptius concludit quæ de dissimilitudine sapientiæ et artium sunt dicta. — § 25. Ernestius omittendam esse censet particulam *et*, ante « ut omnia », cui obtemperavit Orellius, renuente Madvigio; equidem Ernestium sequar, sed transferam verba « et iustitiam ». post « sapientia enim »; tum « ut omnia quæ, etc. » refertur ad animi magnitudinem. — § 26. Legere malim : « Cum *autem* hoc sit extremum », pro « cum *enim*, etc. » quoniam deinceps legitur: « sentis enim » et paulo infra : « Cum igitur hoc sit extr. » — Operæ pretium est hic animadvertere Tullium profiteri se vocem græcam τέλος interpretari « tum extremum, tum ultimum, tum summum »; non ergo utitur simul vel duobus vel tribus his verbis, ut sæpe legitur his in libris. Conf. quæ diximus ad Lib. I, § 11. — Omitto cum Davisio *rhetorice*, quod tuetur Madvig., Baiter inclusit.

VIII, § 28. Offendit immerito Madvig. in conjunctivum : « quod non *possit* nisi honestæ vitæ iure contingere », qui debetur obliquæ orationi; vix exhibeat exemplum indicativi in simili occasione. Idem dicendum de loco libri IV, § 50. — Alterutrum *vita* abesse potest in sententia : « Ita fit ut honesta vita beata vita sit ». Davis. omittebat posterius. — § 29. Addit merito Madvigius *numquam* ante *quemquam*, quem sequitur Baiterus. — Lambinum sequar qui in margine repetitionum monet alios legere : « *idem*que esse beate vivere et honeste, etc. »

IX, § 30. Vere, opinor, Baiterus restituit *quæ* ex cod. A. ante : « quamquam vitiose quidam secuti sunt ». Manutius legebat *quas*. Th. Bentleius, cui Davisius, Orellius, obsequuti sunt, volebat *quos*; perperam, ut monuit Madvigius qui servat *quas*. — § 31. Fortasse legendum : « Quid autem apertius? *Nam* si selectio....... *tolletur* omnis ea, quæ quæratur laudeturque sententia ». — § 32. Primam hujus § i sententiam quæ hic minime cum proximis congruit ad § 24 transtulimus, post verba : « id est artis effectio ».

X, § 33. Omittam cum Bremio voc. *quarto*. — Verba : « collatione rationis », post « ascendit animus », nocent sententiæ quæ sic nimis circumscribitur. Hausta sunt e superioribus. — § 35. Legitur apud Baiterum : « Totum hunc locum de animi perturbationibus inepte interpositum censet

Madvigius, ejiciendum Bake ad Cic. de Legg. p. 262 ». Equidem illum servari posse opinor, postquam non graviori medicina purgatus erit. A principio legam : « *Iam* vero perturbationes animorum », pro *nec* vero, quod ortum est ex negatione quæ legitur infra ante « eæ perturbationes »; omittam, cum Madvigio et Baitero : « nec eæ perturbationes vi aliqua naturali moventur », quod adnotationis marginalis speciem præbet et refertur ad ea quæ in fine §i leguntur; deinde, post *omnes*, deleam *que eæ* orta ex interpolatione; denique, post voc. *voluptariam* , sic legam , sententias transponendo : « omniaque ea sunt opiniones ac iudicia levitatis; perturbationes autem nulla naturæ vi commoventur », unde intelligitur quare *autem* positum sit post *perturbationes*. Notabile sane exemplum harum diversi generis perturbationum , quæ a multis ævis hos de Finibus libros corruperunt, et critici curas etiam nunc requirunt. Ceterum conf. Tusc. Disp. IV, c. 5 et 6.

XI , § 36. Auctore Lachmanno (ad Lucret. p. 231) legit Baiter : *Stoicis* , omisso *his.* — § 37. Legam cum Madvigio (in adnot.) : « quomodo moveantur quibusque de causis ea quæ versantur in cælo ». Scil. corpora cælestia. — § 38. Monuerat Walkerus membrum : « Si turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statuemus », supervacaneum esse , quoniam mox legitur : « nisi eos per se fœditate sua turpitudo ipsa deterreat », cui Davisius obtemperavit; posteriores vero critici non iis assensi sunt. Equidem talem Ciceroni tautologiam tribuere nolim ; at suspicor eum superiorem sententiam prius scripsisse; qua spreta , alteram in conclusione addidit; quod non viderunt librarii. — § 39. Codices omnes habent *temeritatem*, quod contra Stoicorum doctrinam esse vidit Guyetus, qui correxit *timiditatem* , quæ vox respondet græco δειλία et opponitur *fortitudini*. Huic obsequuti sunt Bremius, Madvigius, Baiterus.

XII, § 40. Legere malim : « Scio *autem* esse quosdam », quoniam agitur nunc de Epicureis. — Fortasse legendum : « ad unum nos certum vitium »; voc. *aliud* ortum esse videtur ex voc. *aliquod*, synon. adjectivi *unum*. — § 41. Legere volebat Guyetus : « qua tractata », quia vix dici potest de contentione « in summum discrimen adduci », quod admittendum sit, si cum Madvigio legas : « quam tractatam » omittendo *rem*. Ego vero legam : « Sequitur magna contentio : *nam* trac*tatam*...... *rem* in summum discr. add. etc. » — Hic denuo geminam ejusdem sententiæ formam reperio, unde manifesta oritur tautologia quam animadvertit Matthiæus. Hujus nævi remedium facile invenietur, si admittas Ciceronem prius scripsisse : « Mihi autem perspicuum videtur maiorem multo inter Stoicos et Peripateticos rerum esse discrepantiam quam verborum », quod ita mutavit, quo validius rem exprimeret : « Mihi autem nihil tam perspicuum videtur quam has sententias eorum philosophorum re inter se magis quam verbis dissidere ». Verbum *aio* librario debetur qui sententias connectere voluit.

XIII , § 42. Codices habent : « quam *illo* ratione », seu *illa;* Lambini

correctionem *illorum* legentis, ex § 48, admiserunt plerique critici. — § 43. Novum geminatæ enuntiationis exemplum præbet hæc §, quod ex duplici *ut* apparet et particularum copulatione *si* et *cum*, quarum altera abundat. Alterutra sententia eligenda est : « Ne illud quidem est consentaneum, *si* tria genera bonorum sint, quæ sententia est Peripateticorum, ut eo beatior quisque sit, quo sit corporis aut externis bonis plenior ». Sive : « Ne illud q. e. c., quum tria genera b. s. q. s. e. Perip., ut hoc idem approbandum sit nobis, ut qui plura habeat ea, quæ in corpore magni æstimantur, sit beatior ». Tacent critici. — § 44. *Sit* abesse potest post prius *expetendum*, sed addendum videtur cum cod A, post *utrumque*, omisso post alterum *expetendum*.

XIV, § 45. Melius responderet vocabulo *mellis* nomen *amaritudine*; quam *magnitudine;* sic præpositio *in* non desideraretur, quæ deest in codicibus. — § 47. Verba « qui illud dicunt » omittit cod. A; facile abesse possunt. — § 48. « Quod ultimum » abundat.

XV. Suspicor Ciceronem, post hæc verba : « Hæc mirabilia videri intelligo », prius subjunxisse : « Sed quamquam negant nec vir*tutem* nec vi*tium* crescere, utrumque tamen eorum fundi quodammodo et quasi dilatari putant ». Quum autem talis conclusio et angustior et minoris auctoritatis videretur, maluit in ore Catonis apertiorem simul et firmiorem professionem ponere; itaque priorem sententiam prætulit : « Sed cum certe superiora firma ac vera sint, his autem ea consentanea et consequentia, ne de horum quidem est veritate dubitandum ». Etenim nec sensus nec orationis gressus utramque sententiam simul stare sinunt; unde tot egregiorum criticorum tum dubitationes, tum correctionum tentamina. — § 49. *Ab* abundat ante verba : « ulla re », quoniam legitur : « nulla ars divitiis contineri potest ». — Alienum locum usurpavisse mihi videtur sententia : « quia cognitiones comprehensionesque rerum e quibus efficiuntur artes, appetitionem movent »; aptiorem locum obtinebit post verba : « nulla ars divitiis contineri potest ». Sic formula : « ob eamque causam », disjungitur a particula *quia* et refertur ad comma : « cum divitiæ non sint in bonis »; vox *artes* fit proxima voci *artibus;* sententiæ igitur facilius planiusque sibi succedunt. — § 51. Opinor legendum esse : « ut *in* gloriæ, divitiarum, similium rerum *usu* », quæ ultima vox evanescere potuit ob similitudinem præcedentium litterarum. — Madvigium sequor legentem, auctore Wesenbergio : « partim non item. Hinc est, etc. »; Baiterum secludentem voc. *verbi* ex cod. A. ubi omittitur.

XVI, § 52. Verba : ut secundus sit » abundare mihi videntur. — Fortasse Cicero scripserat : « non ea quæ *primaria* sunt ». Codices optimi habent *primorie.* Baiterus scripsit : « non ea, quæ priore loco sunt ». — Si voc. *remota* ex scriptoris manu fluxit, transferendum est vel ante vel post *reiecta*, interponendo *aut* seu *vel.* — § 55. Quoniam legitur : « de efficienti-

bus nihil præter *amicum* », malim legere, cum codd. A B, « pertinentem et efficientem *sapientem* esse volunt. ». Editores recentiores correxerunt *sapientiam*.

XVII, § 56. Exempla : « ut quidam habitus oris, etc. » et ea quæ de iis dicuntur; « in quibus sunt et præponenda quædam et reiicienda », unice referuntur ad ea quæ sunt « per se ipsa præposita »; omnino igitur abundant commata interjecta : « partim quod aliquid efficiunt, partim utrumque per se », quorum sensus deinceps enarratur cum exemplis idoneis. Hic novum habemus geminæ enunciationis vestigium a librariis neglectum et præpostere in textu servatum. — § 58. Tam multa perturbata et aliena vel potius supervacua sunt in hac §, ut vix interpres perspicuam seu rationi consentaneam sententiam inde exprimere possit; atqui fere nullus inter criticos hactenus medicam manum adhibere ausus erat, præter Fr. Jacobum, qui, Baitero teste, verba : « quoniamque in iis rebus.... *usque ad finem* §i, nec in contrariis », ab interpolatore male agglutinata censet. Equidem, re sæpius perpensa, agnovi, ni fallor, conclusionem, præpostero casu initio §i collocatam fuisse; primum autem argumentationis membrum non procul ab fine perscriptum fuisse; clausulam vero ab verbis : « est autem eius generis, etc. » vel adnotatori cuidam, vel potius ipsi auctori tribuendam, qui hæc prius scripserat et deinceps mutavit; itaque totum locum sic restituam : « Quoniamque in iis rebus, quæ neque in virtutibus sunt neque in vitiis, est tamen quiddam, quod usui possit esse, tollendum id non est. Est enim aliquid in his rebus probabile, et quidem ita, ut eius ratio reddi possit, [ergo ut etiam probabiliter acti ratio reddi possit]. Est autem officium quod ita factum est ut eius facti probabilis ratio reddi possit; ex quo intelligitur officium medium quiddam esse, quod neque in bonis ponatur neque in contrariis. Sed cum, quod honestum sit, id solum bonum esse dicamus, consentaneum tamen est fungi officio, cum id officium nec in bonis ponamus nec in malis ».

XVIII, § 59. Legere malim : « *qui* quoniam » pro « *quod* quoniam » unde oritur ambiguitas. — § 61. Codices AB habent : « nam neque virtute retinetur in vita », ubi aliquid deesse manifestum est; lacunæ signum addidit Madvigius, qui Ciceronem scripsisse opinatur : « neque is, qui virtute fruitur, retinetur, etc. » aut similibus verbis, sed hac orationis forma; alii alia conjecerant; equidem sic legam : « Nam neque *sapiens* virtute retinetur in vita. » — Madvigius verba : « quod est convenienter naturæ vivere », quæ leguntur in codicibus post : « si id opportune facere possit », transferenda esse vidit post « beate vivere », quam translationem effecit Baiterus. Hanc medicinam rarius hactenus adhibuerunt critici, licet leviorem et librariorum stupore nonnumquam necessariam.

XIX, § 63. Fortasse legendum : « ut *appareat* hominem ab homine..... non alienum videri » pro « ut *oporteat* ». — Verba « in concha » mihi abun-

dare videntur ante « patula pina ». — Fortasse ante *monuisse* excidit *morsu*. Confer quæ leguntur Nat. D. II, c. 48, § 123. Oratio ceterum planius procedet si hoc incisum « qui enat e concha » transferas post *vocatur*. — Codices AB habent : « Multo hæc coniunctio est hominis »; codices deteriores « multo magis hæc, etc. » quam lectionem sine dubitatione admiserunt editores; Baiter. lacunam signavit inter *multo* et *hæc*. Fortasse latet adjectivum in priore voc., quale *manifesta*.

XX, § 65. Contra codices, Bremio auctore, legit Baiterus : « *cumque* nemo », pro « *quodque* nemo », cui libenter assentior; sæpius enim quam animadvertunt critici *cum* et *quod* permutantur. — Malim legere cum Davisio « ad *civilem* communitatem »; nam voc. *naturalem* mera tautologia est ob verbum *esse natos*. Tullius ipse § 66 scribit : « ad *civilem* communitatem coniuncti ». — § 67. Legitur, Nat. D. II, 154 « Ipse mundus deorum hominumque causa factus est » quo loco tuentur critici verba « et deorum » post « cetera nata esse hominum causa »; sed quum Tullius addat « eos autem » quod refertur ad homines solum, vix putandus est hic complementum inutile admisisse, quod perspicuitati nocet. Equidem hoc additamentum, quod sine dubio debetur adnotationi marginali, usurpavisse locum opinor verbi cujus *Chrysippus* subjectum est, quale *docuit*, seu *demonstravit*, ex quo orta sunt imperfecta *esset*, *intercederet*, *conservaret*, *migraret;* quare legendum est *possent* pro *possint*.

XXI, § 69. Si hæc verba : « quorum altera prosunt, nocent altera » non omnino supervacua sunt et exprimunt græca vocabula ὠφελήματα et βλάμματα, melius quam *emolumenta* et *detrimenta*, aptius legerentur, opinor, vel post ea vocabula, vel post *appellant*. — Malim legere cum Davisio, inverso ordine, ob vocabula græca εὐχρηστήματα, δυσχρηστήματα, « commoda autem et incommoda ». — Transponam colon : « Sed emolumenta communia esse dicuntur », post verba : « habentur communia »; nisi malis cum Davisio id omittere. Si servetur, addam cum Lambino : « et detrimenta ». — § 70. Sequor Lambinum legentem : « ex eorum genere, quæ prosunt », pro lect. vulg. « ex eo genere ». — Voc. *posteriores* abundare videtur post « hi quoque ». Madvigius id tuetur conferendo locum IV, 10, ubi legitur « hanc posteriorem »; sed ibi sequitur vox *priorem*, quæ hic deest. — Contra optimos codices qui habent : « nec iustitiæ nec amicitiæ esse poterunt » legit Madvigius : « nec iustitia nec amicitia »; in adnotatione monet : « Ex *amicitia esse* factum est *amicitiæ esse*, deinde ad « id adcommodatum *iustitiæ* ». Verissime, sed sæpius quam confitetur eximius criticus tales occurrunt in codicibus errores. — § 71. Suspicor Ciceronem scripsisse : « Ius autem, quod ita δίκη appellari possit », pro « quod ita *dici* appellari*que* possit »; sic intelligitur quid valet *ita*, et evanescit tautologia.

XXII, § 73. Baiterus edidit, monente Madvigio, « victurus est », contra codices qui habent *sit;* sed levis est in talibus codicum auctoritas, in qui-

bus etiam legitur « *et* proficiscendum », pro *ei*, quod admisit Madvigius, non ausus edere « victurus est ». — § 74. Libenter legam, cum cod. B, « me rerum traxit ordo »; alii cod. et editores omittunt *me*. — Legitur libro IV, 53, « si *una* littera commota sit »; ergo hic legendum videtur : « ut si *unam* litteram moveris » pro *ullam*, ut jam volebat Markland. — § 76. Deleam cum Davisio et Bremio, *morte*, ante verbum *confecerit*.

LIBER QUARTUS

I, § 1. Quoniam inter se dissident codices falsamque lectionem exhibent, malim secundum usum Tullianum legere : « ut tam multa memoriter, *sic* tam obscura dilucide. » — Adverbium *accurate* respondet potius, in hac sententia, adverbio *vere*, quam adv. *diligenter*; itaque non addendum *tam*, ut volebat Lambinus. — Suspicor legendum esse : « quæ tamen a te agetur melior », omisso *non ;* etenim hic agitur non de tempore sed de natura causæ, quod monstrat particula *tamen ;* si de tempore loqueretur Cato, dixisset *facilior ;* sin autem de veritate causæ, contra modestiam sic locutus esset. — § 2. Fortasse Cicero scripserat : « Immo istud quidem, inquam, *colloco*, nisi iniquum postulo, arbitratu meo ». *Quidque* ortum est ex mutatione, et vix manere potest cum pron. *istud*. Confer § 17.

II, § 3. Abundare mihi videntur verba : « quorum fuit hæc institutio »; et pertinere ad priorem enunciationem sententiæ quæ legitur § 4; voces *in qua* referuntur facile ad voc. *disciplinam*.

III, § 5. Malim legere : « polite *aperte*que dixerunt », quod melius respondet quam *apteque*, iis quæ infra leguntur : « quam niteat oratio ». — § 6. Omnes codices habent « de temperantia, de fortitudine » inter verba : « de capessenda republica » et verba : « hominum spinas vellentium »; optimi A B C addunt *de* ante voc. *spinas;* unde, post aliorum criticorum tentamina, mihi venit in mentem legere : « de capessenda republica *disputant*, *consuetudine* hominum *nec* spinas vellentium, ut Stoici, nec ossa nudantium, etc. » quæ verba *disputant*, *consuetudine*, absorberi potuerunt ob litterarum similitudinem a vocabulis præpostere repetitis *de temperantia, de fortitudine ;* vel etiam omitti ob homœoteleuton. — § 7. Davisius, Matthiæus, Orellius, quos sequitur Baiterus, transposuerunt membrum : « incendit igitur eos qui audiunt », quod legitur in codicibus post verba : « oppidum esse nostrum », ante incisum : « quid ille incendat ». Non sine

6

causa id factum esse fatetur Madvigius, non audet tamen codices deserere; quum autem talium errorum exempla non desint, librariorum temeritati quam Ciceronis negligentiæ hunc nævum tribuere magis consentaneum est.

IV, § 8. Abundat voc. *duabus*, quoniam mox legitur : « in utraque parte » ; omittunt *duabus* cod. B. seu Erl. et cod. Spir. — Verbum *esse*, post voc. *caput*, suspectum fuit Bremio, quo deleto sententia melius procedit; sed legam : « caput ea faciunt quæ perspicua dicunt » ; mutatio pronominis *ea* in verbum *esse* adduxit illationem pronominis quod abesse non poterat. — § 9. Vix credam Ciceronem, qui modo dixit : « argumenti ratione conclusi », usum esse brevi post verbis « ratione concludentium », quæ insuper supervacua sunt, quoniam argumentorum natura paulo infra definitur. — Legam cum Wesenbergio : « *neve* sensuum ... *neu* rationis, » pro lect. vulg. *neque* ... *nec*; addam cum Lambino *ne* ante verb. *separemus*, ut Baiterus.— Codices A B habent : « instituta sunt, inventa sunt » ; Madvig. seclusit *inventa sunt*, Baiter. omisit; deerat enim copula, unde manifestum fuit emblema ; non semper ita proditur.— Verba « quam veteres », suspecta Lambino, Davisio, Ernestio, tuetur Madvigius; mihi vero non solum abundare, sed concinnitati et orationis motui obesse videntur. — § 10. Malim legere : « artificium et viam tradiderunt ». Conf. De Divin. II, 1. — Verba « dicendi copiam » suspecta erant Manutio, quia hic de dialectica, non vero de rhetorica agitur; *quod* satis est, quum sequatur *etsi*. — Omittam verbum *est* post « ars tamen », quod abest a codd. Erl. et Spir.

V, § 11. Magis perspicua mihi videtur lectio codd. *hic* in inciso : « qua *hic* (pro *hi*) utuntur et vestri » ; nihil opus loqui de Peripateticis, qui supra designantur pronomine *illi*. — Omittam part. *etiam* post verba « quanta sit » ; legitur paulo supra. — Legendum esse censet Bakius (de Legg. p. 323) : « a *vestris* philosophis dicitur ». — § 13. Ciceronem scripsisse opinor : « Pauca mutat ; *velit* plura sane ». Codices omnes habent : « *vel* plura sane », quæ sic enarranda Madvigius putat : « vel, si quis ita mavult, plura sane, quam quæ pauca dici possint ». Ingeniose quidem, sed ingeniosius, credo, quam volebat Tullius.

VI, § 14. Post verba : « finis hic bonorum », cuncti codices habent hoc membrum « qui continet philosophiam » quod primus sustulit Ernestius, cui obsequuti sunt Goerenz., Orellius, Madvigius, Baiterus. Unde necesse est conjicias nonnulla minus putida additamenta jam pridem horum librorum codices infecisse.

VII, § 16. Legam cum Davisio : « quum *autem* animum, etc. » ; particula deest in codicibus quæ vix abesse potest. Lambinus legebat : « *et* quum ». Compendia vocc. *animus* et *autem* simillima sunt. — § 17. Addit Madvigius contra codices particulam *cum* ante verba *eum tueretur*; mihi vero verbum *tueretur* alienum videtur, ortumque ab interpretatione verborum

iuvaret ac contineret; itaque omisso *tueretur*, deleam *eum* post *iuvaret*. Fortasse Cicero prius tantummodo scripserat: « ut eum tueretur », et deinceps sententiam compleverat scribendo ut conjeci. — Vere monuit Madvigius sententiam post verbum *amarentur* non solum tautologia, sed etiam turpi perversitate laborare, si quis verborum grammaticam conjunctionem persequi volet *(natura tributum hominibus ut philosophi dicerent.)* Hunc gravem nævum facile tolles, deleto *ut* ante *coniugia* et legendo *dixerunt* pro *dicerent;* sic Tullius negligentiæ crimine solvetur. — Adverbium *facile*, ante verba « posset repugnari », alienum mihi videtur a mente scriptoris ; si facile repugnatur fortunæ, quid opus est magnitudine animi? Fortasse legendum *fortiter*. — § 18. Suspicor legendum esse : « omnis honestas *seu* perfecta est, *seu* absoluta est, » alterutro omisso; non vero « perfecte absoluta est ».

VIII, § 19. Merito legit Lambinus : « ut se salvum « omisso *et*, probante non obsequente Madvigio quem Baiterus deseruit. — Addendum esse monuit Davisius *quod*, inter *an* et *cum omnium*; sic ediderunt Madvig. et Baiter. — § 20. Ironice loquitur Tullius, Stoicosque irridet ob discriminum subtilitatem quibus utuntur ; at graviora diceret quam vult, si iis tribueret quæ de bona valetudine, de dolorum vacuitate perverse inter bona positis effert; numquam enim de ea opinione sic loquuti sunt Stoici. Præterea non recte inter se nectuntur sententiæ, nam postquam de bonis corporis dictum est, agitur deinceps de bonis in genere et rursus de corporis bonis quæ bona esse dicuntur. Quare permutatum esse hujus §i ordinem censeo, opinionemque Tullii præpostere divisam, qui, postquam Stoicorum doctrinam de *præpositis* exhibuit, ipse quid de ea sentit eloquenter enarrat. Sic igitur restituendam esse sententiarum seriem arbitror, paucis verbis mutatis : « Alia quædam dicent, credo, magna antiquorum esse peccata, quæ ille veri investigandi cupidus nullo modo ferre potuerit. Ea enim omnia, quæ illi bona dicerent,' præposita esse, non bona; itemque illa, quæ in corpore excellerent, stulte antiquos dixisse per se esse expetenda, sumenda potius quam expetenda, *eademque* de omni vita quæ in virtute una consisteret. Quid *autem* perversius, quid intolerabilius, quid stultius quam bonam valetudinem, quam dolorum omnium vacuitatem, quam integritatem oculorum reliquorumque sensuum *non* ponere in bonis; quam *dicere* nihil omnino inter eas res, iisque contrarias interesse; illam vitam, quæ etiam ceteris rebus, quæ essent secundum naturam, abundaret, magis expetendam non esse, sed magis sumendam; cumque ipsa virtus efficiat ita beatam vitam, ut beatior esse non possit, tamen quædam deesse sapientibus tum, quum sint beatissimi; itaque eos id agere ut a se dolores, morbos, debilitates repellant? » Sic omnia, opinor, bene congruunt, et audimus Tullium ipsum Stoicos irridentem, et absurda illius doctrinæ denuntiantem. Bene etiam jungitur § 21 : « O magnam, etc. », cum iis quæ antea leguntur.

IX, § 21. Legam cum Baitero, ex cod. B, « omn*ium* insipientiam ». — Omittam cum Manutio, Davisio, Ernestio, comma : « nomina rerum commutantem » ; unde oritur mera tautologia, ut fatetur Madvigius, qui tamen lectionem vulgatam tuetur. Hic agnoscas etiam ipsius Tullii manum, qui fortasse sic prius scripserat, deinde periodi conclusionem mutavit. — § 22. Minus religiosus fuit Madvigius in eo glossemate : « de ipsis rebus nihil mutetur » quod legitur in plerisque codicibus post verba : « in eo nihil movetur » ; illud omnino sustulit, obsequente Baitero ; jam secluserat Orellius. Baiterus edidit, auctore P. Fabro, *novetur* pro codd. B E lectione *movetur*. — § 23. Alienum a Ciceronis mente mihi videtur incisum : « si probari posset », quod debetur, opinor, lectori cuidam non Stoico dubitationem in margine notanti. Cod. B habet *possit*, quod convenit melius adnotatori quam scriptori. — Magis placet *inhumanitas*, quam *immanitas* seu *inanitas*.

X, § 24. Suspicor legendum : « *nimis occulta* mihi occurrent », pro « minus multa », quod parum eleganter sonat, nec bene voc. *popularia* respondet.

XI, § 27. Vix putem Tullium scripsisse : « appeteret.... earumque rerum custodiam », quod jam Manutio displicuerat legenti « *suarumque* ». Suspicor legendum : « *ceterarum*que rerum *concordiam* ». — § 28. *Autem*, inter *alias* et *animo*, mihi spurium videtur.

XII, § 30. Malim cum Lambino : « æque iucunda vita » pro « æque vita iuc. » — Codices habent : « quia momentum aliquod habeat ad iucundam accessionem » seu « ad iucundum accessionem » ; Lambinus correxit : « ad iucundum accessio », quam correctionem editores admiserunt. Equidem his in vocc. glossema vocis *momentum* video, unde accusativus ; si legas *accessio*, fit subjectum verbi *habeat*, quod jam exstat in vocc. « vita menstrua. » — Lambinus et Madvigius censent legendum esse *tollatur*, post vocc. *vita beata*. Vere. — § 31. Bentleius (ad Tusc. III, 1) putat legendum esse « *pravitate* membrorum », pro *gravitate*, quam correctionem admisit Baiterus. Ingeniosa certe, sed non necessaria correctio est ; *gravitas* enim melius convenit cum verbo *levet*. — Omittam, post verba « capitali adversario », voc. *dolore*, quod scholion sapit.

XIII, § 32. Vocabulum *obscurationibus* non scripsit Tullius, quoniam addidit *ipsis*, post *istis* quod refertur ad prius *ista* ; omittendum est, tum ob ἅπαξ λεγ. tum ob ineptum sensum. — Abundare mihi videtur *enim*, post *nemo*. — Ante voc. *nulla*, Baiterus addit verbum *est*, quod alii ponunt post idem voc. Sic melius cernitur quare evanuit ex codd. — § 33. Optimi codices habent : « ut simile sit omnium *naturale* illud ultimum » ; cod. Sigonii et Leidensis dant *naturarum*, quod admittunt editores recentiores ; mihi vero istud supplementum non videtur necessarium, quoniam sponte intelligitur. — Facile etiam carebo illa conclusione : « Tale enim visum est ultimum Stoicorum », in qua dissentiunt tum codices tum editores. — § 35. Legitur in

cod. B: « Sic nihil in eo quod perficiendum est », unde Baiterus edidit: « Si nihil in *eo* perf. » Madvigius: « Si nihil in *quo* p. » scil. « in animali aliquo » (?). Malim: « In quo si nihil perf. » scil. « homine de quo agitur ». Error librarii qui scripsit *in quo* post *si nihil*, lectionis vulgatæ pravitatem adduxit.

XIV, § 36. Legendum opinor « tamquam de *inani* aliquo loquantur », ut ipse scriptor monet paulo infra. Codices dant seu « *in animali* aliquo » seu « *in annali* quo »; Madvigius : « de inanimo aliquo ». — Particula *ita*, ante verba : « præter animum nihil curant », aliena videtur, quoniam huic nullum *ut* respondet; sed aptum obtineret locum ante « ut ne is quidem ». — § 37. Legam cum Davisio et Ernestio : « id est in virtute locatur », pro *laudatur*, quod tuetur Madvigius oblitus eorum quæ paulo supra leguntur: « virtus altissimum locum in homine tenet. » Conf. Læl. § 104 fin. — § 38. Fortasse Cicero scripserat : « Ut *in* cultura vitium », quæ præpositio a librariis perperam mutata fuit in *si*, ut prior sententia interrupta videretur et oriretur ἀνακόλουθον. Sed orationis mutationem satis tuetur parenthesis. — Omittam voc. *vitium* post voces « illa cultura », et voc. *vitis*, inter *omnibus* et *partibus*, ubi certe abundant. — § 39. Baiterus, monente Wesenbergio, legit « *istorum* inconstantiam », contra codices qui habent *eorum;* minime repugno. — Plerique codices dant voc. *tuentem*, post verba « ipsam etiam virtutem » quod omiserunt critici; mihi vero deesse videtur substantivum unde pendeant genitivi *earum rerum*, quæ vix construuntur cum voc. *virtutem;* itaque legam *initia*, ut ipse Tullius loquitur § 46. Tacet Baiterus.

XV, § 40. In codicibus legitur: « Nam si omnino *nos* negligimus », quod non potest satisfacere; Bremius mutavit *nos* in *ea*, quam correctionem admisit Baiterus; Madvigius voc. *nos* obelo signavit; mihi vero legendum videtur, ex § 41, *naturam*, cuius compendium facile habitum fuit pro voc. *nos;* et infra : « sin *eam* non negl. » — Geminam conclusionem præstat lectio vulgata post sententiam: « non multum ab Erilli levitate aberrabimus », ob repetitum *enim;* malim ergo legere: « duarum*que* vitarum nobis erunt instituta capienda; facit enim ille, etc. » — § 41. « Dubitationem habet vox *cœptus*, quæ præter hunc locum apud unum Statium poetam semel legitur » MADVIG. Itaque legendum opinor *motus;* nam ipse Tullius scribit infra, § 43: « quibus commotus sapiens appeteret aliquid ». Litteræ *m* vetus forma facile confundebatur cum *co*. — Verba « ante explanationem » seu « ante explicationem », quæ leguntur in codicibus, mihi spuria videntur; ipsa lectionis varietas scholion prodit. — § 42. Optimi codd. habent « omnia quæ præter virt. » ut scripsit Baiter, cum Madvigio; codd. plerique habent « quæ *propter* ». Orellius edidit « propter quæ »; ego malim « *per* quæ », quod melius scriptoris menti respondet. Compendia præpositionum *per*, *præter*, *propter*, simillima sunt.

XVI, § 43. Fortasse in particula *vel* quam dant plerique codices, inter *quod* et « aliquod genus appetendi dedit », latet verbum *velit* quod aptius videtur quam *dedit*. Conf. not. ad § 13. — Malim legere cum Pearcio « quod ea occurrentia non fingunt, transferendo *non*, quod vulgo legitur ante *occurrentia*. — Tuetur Madvigius lectionem codicis Erl. seu *B*, « *illi* quidem » contra alios codices et opinionem Davisii aliorumque criticorum legentium « *illa* quidem »; at quæ affert exempla non quadrant, quia in iis pronomina ita seu commate, seu parenthesi sejunguntur, ut oppositio perspicuitati nihil noceat, quod hic non contingit, ubi lector discerneret statim inter *hi autem* et *illi quidem*, si sic ederetur; ceterum scriptoris menti consentaneum est legere: « *illa* quidem prima naturæ ». — § 44. Plerique codices habent: « causa cur Zenoni non fuisset »; cod. B. seu Erl. pro *cur* fert *cum*. Madvigius monet sic latine dici non posse, et Ciceronem scripsisse putat: « causam Zenoni non fuisse », quam conjecturam admisit Baiterus. Equidem malim legere: « causa *quod* Zenoni non fuisset »; sic melius intelligitur *ea* ante *dixi*. Sæpe *quod* et *cum* permutantur.

XVII, § 47. Codices dant seu *quæritis*, seu *quæretis*, seu *quæres*, Spir. *quæretes*, unde Goerenz. fecit *quærentes*, probante Madvigio, qui legit etiam *revertemini* cum multis codicibus. Lambinus vero, quem sequutus est Davisius, legebat *quæritis*, et addebat *qui* post *vos;* sed sententia nondum satisfacit, neque oratio cum iis quæ prius et deinceps leguntur bene connectitur; itaque sic malim legere: « Hoc *enim quæritis* omnes, et ii qui quodcunque in mentem veniat aut quodcunque occurrat se sequi *dicunt*, et vos *qui* ad naturam *revertimi* »; quod melius, opinor, respondet, tum verbis, « non reperietis », tum membro: « quibus natura iure responderit. » — Verba « aut vitio » primus seclusit Davisius et post eum Baiterus, quod probat Madvig., qui tamen Ciceronis negligentiæ hoc loco novum vestigium reperire putat; itaque uncis abstinuit. Ego hæc verba prorsus deleam. — Vox *propensionem* hoc uno loco apud Ciceronem legitur, pro qua fortasse supplendum voc. *progressionem*, quo § 67 noster utitur. — Fere certam Bremii correctionem legentis: « cetera haberent » recentiores editores admiserunt contra codices omnes qui dant: « ea res haberet ». Davisius jam legebat: « ceteræ res haberent ». — Valedicunt etiam critici codicibus qui post *appetitionem* habent *autem*, et merito *tamen* præferunt. Mirari certe licet eorumdem religionem in aliis locis non minus suspectis vel corruptis. — Suspicor Tullium prius scripsisse ea quæ in fine hujus XVII capitis a § 48 leguntur, et deinde sententiam pluribus enarravisse, ut legitur in § 47; friget enim hæc levis conclusio post ea quæ ante dicta sunt; si vero servetur, legendum saltem: « Quid *igitur* minus consentaneum est », etc.

XVIII, § 50. Si servetur *vitiosius*, legendum est: « quo nihil *potest* esse »; si servetur *putatis*, mutandum comparativum in *melius* quod dant quidam

codices; *speciosius* volebat Davisius, *nervosius* J. V. Leclerc, alii *molestius*, *captiosius*, etc. Madvigius autem sententiam sic interpretatur: « Jam » *illud* quod sequitur (altera vostra conclusio) sorites est, quo (sorita) universe nihil putatis esse vitiosius. » Si Sphingis instar loqueretur Tullius, novum Œdipum haberemus. — Egregiam Madvigii correctionem legentis : « non tuum », pro falsa codicum lectione *non tum*, seu *non tamen*, seu *nominum*, sine dubitatione admiserunt editores recentiores.

XIX, § 52. Opinor legendum esse: « exspectat et avet » ut ea verba referantur tum ad pronomen *illi*, cum ad interrogativum *quis*, et sic vitetur ambiguitas quæ oritur ex verbo *dicunt*.

XX, § 56. Codices habent: « aptæ, habiles et ad naturam accommodatæ », Orelli et Baiter. secludunt *habiles*, Madvig. legit « aptæ et habiles »; ego vero malim, cum nonnullis codicibus, *optabiles*, quod Zenonis menti non repugnat, additque notionem novam vocabulo *accommodatæ*. — Membrum: « quæ bona non audet appellare, naturæ accommodata esse concedit »; omittendum mihi videtur ut Manutio et Davisio; nam non modo idem scriptor jam dixit, sed etiam ambigua est sententia ob geminum subjectum. Ceterum codices ibi sunt depravati. — § 57. Vere monet Madvigius durum orationis transitum esse quum copulative adjungitur controversia de re aut de nomine; itaque legendum esse censeo: « *Iam*que omnis controversia aut de re *solet* aut de nomine esse; utraque *enim* nascitur, si aut res, etc. » pro *cumque*, *soleat*, *earum*.

XXI, § 58. Apud eumdem egregium criticum legitur: « Hoc toto loco Cicero, dum veterum sententias de rerum differentia breviter complecti conatur, mire se implicavit, et, perturbatis atque confusis rerum generibus, in repugnantiam et absurditatem manifestam incidit. » Mihi autem hunc locum consideranti admodum verisimile visum est membrum « quæque secundum naturam sint » perperam repetitum fuisse et sic locum occupavisse alterius membri « quæ nec honesta nec laudabilia dicantur » alieno loco positi, unde ea quæ sequuntur aliter scripta fuerint quam debebant, quæ restituenda esse opinor sic legendo: « . . . . esse æstimanda ; quæ nec honesta nec laudabilia dicantur, partim nihil habere in sese eius appetitionis, de qua iam sæpe diximus, partim voluptatem *habere* in omni animante, etc. »; omisso tantummodo *quæ* ante *voluptatem*, et mutato *habeant* in *habere*. Sic recte omnia procedunt et ista medicina, sane benigna, artis criticæ dignior mihi videtur, quam negligentiæ crimen summo scriptori tam leviter illatum; quippe cujus schedæ nobis præsto non sunt, et codices manifestis erroribus scatent. — § 59. Deest subjectum verborum *possit* et *decreverit;* fortasse voc. *sapiens* excidit post *suppliciis*. — Velim legere *viribus*, pro *virtutibus*, ob voc. *virtute* quod sequitur; cui voci *viribus* melius accommodantur attributa *faciles* et *contemnendas;* præterea addendum opinor *esse* post verbum *posse* a quo potuit absorberi. Signum cor-

ruptelæ posuit Baiterus cum Madvigio ante v. *faciles*. — § 60. Facile assentior Wesenbergio addenti : « aut omnibus » ante « aut plurimis et gravissimis ». Cf. §§ 27, 34, et Baitero omittendum censenti « quod propriam » post « quod suam ».

XXII, § 61. Codices habent « rectiones, genera » ; Madvigius putat Ciceronem scripsisse « rectionis genera », quod admisit Baiterus ; ego vero legam : rationes, genera, » etc. Voc. *rectio* mihi suspectum est, quia rarius usurpatur, nec quidquam addit sententiæ.

XXIII, § 62. Legendum opinor : « *Ad quæ* si verum respondere velles ». Codices dant *atque*, nonnulli editores *atqui*. — Vix admittendum censeo Ciceronem pro Catone respondentem tam prompte repetiisse ea quæ modo in Stoicorum doctrina damnaverat, et quorum inanitatem demonstraverat; itaque alienum a responso suscepto suspicor totum locum a verbis « quippe qui » ubi orationis structura mutatur, usque ad verba « bonum dicere », quem erudito cuidam lectori tribuam, sive illi enarratori cujus jam haud pauca sedulitatis exempla notavimus. Fr. Jacobus, teste Baitero, ejicienda censet verba : « neque tamen... bonum dicere. » — Gradatim Cicero Stoicorum censuram resumit : tum ipse loquitur, personam Catonis exuit. — § 63. Legam cum Lambino et Ernestio « non tam *acuti* » pro *acute*. — Consentiunt editores in delendis verbis : « qui arbitrabantur » additis ab ignaro lectore. — Voc. *superiores* debetur etiam scholiastæ explicanti pronomen *illos*, quod vidit Halmius, teste Baitero. In utroque casu nihil juvant codices.

XXIV, § 65. Legam, monente Baitero, « qui enim hoc, etc. » pro *quis*. — § 66. Codices omittunt particulam inter *conferam* et *avum tuum;* editores addunt *autem* quæ potuit excidere ante *avum*, ut animadvertit Madvigius, qui interrogationis notam addidit post voc. *æquali*. Ego malim : « Conferam *etiam* ». — Sententia : « nihil est quod tam miseros faciat quam impietas et scelus » in fronte cujus addunt alii codices *si*, alii *sed;* aliena est h. . seu potius molesta, at vero post verba : « exstinctam cupit » transferenda videtur, addito *nam*, vel *enim*, post *nihil est*. — § 67. Lego cum Lambino et Baitero : « At quo utantur », contra codices apud quos legitur : « Ad quod utuntur »; iidem dant paulo infra « alia *in* aliis »; sed delendam esse præpositionem manifestum est, quod fecit Baiterus, monente Madvigio. — § 68. Codices habent : « atque usus eadem ratione qua sum paulo ante hærebitis » ; unde editores recentiores effecerunt : « Itaque rursus eadem ratione, qua sum paulo ante usus, hærebitis. » Ego vero malim : « atque rursus, eadem ratione (scil. *utens*) qua sum paulo ante usus, hærebitis. »

XXV. Verbis : « officia vitæ » facile carebo, quæ mihi videntur epitome marginalis. — § 69. Hic satis manifestum geminæ enunciationis exemplum habemus : Cicero prius scripserat : « Sublatis officiis omnibus ; officia autem tollebantur delectu omni et discrimine remoto ; ex istis an-

gustiis, etc. »; quam sententiam neglexit præ meliori qua conclusionis series melius nectitur : « sublatis omnibus officiis, quæ esse poterant rebus omnibus sic exæquatis, ut inter eas nihil interesset, ex istis angustiis, etc.» Servata utraque sententia vitium tautologiæ patet. Quum confusionis causa editores fugisset, alii addiderunt *enim* ante *esse poterant*, cum interrogationis nota post *interesset;* Madvigius mavult addere *non* ante *poterant*, quem sequutus est Baiterus. — Omittam *possimus* post *nec ne*. — § 70. Pron. *hæc*, quod abest ab quibusdam codd. non deterioribus, et verbum *dicis*, quod legitur in omnibus codd., pro quo editores dant *dicit*, mihi spuria videntur; tardant orationem sine ullo perspicuitatis fructu: facile intelligitur *dicit*, ob *inquit* quod paulo supra habemus. — Verbum *differre* in quo dissentiunt codices videtur glossema, et potest abesse quoniam legitur paulo infra *interesse*. Idem dici potest de inciso « nescio quid immensum »; abest a codice Carrionis, legitur in aliis « quod immensum sit » et illud omittendum censent Gronovius et Davisius; eo deleto melius intelligitur quare *differre* abundat. — § 71. Madvigius interpretatur : « Idem adhuc » quasi Cicero dixisset: « Adhuc idem dicit Zeno quod Aristo, audi nunc reliqua »; itaque legendum opinor : « *iidem* adhuc ».

XXVI, § 73. Madvig. et Baiter. ex cod. B. legunt; « quo modo? » post « avaritiamne minuis? » Admodum supervacua est hæc interrogatio, et deest transitus ad ea quæ sequuntur; itaque malim lectionem vulgatam servare : « *Quod* si verbum sequimur ». — Comma : « quæ a te dicta sunt » abesse posse mihi videtur.

XXVII, § 74. Velim legere : « *Iam* ex eisdem, etc. » pro « *Nam* ex eisdem ». — § 75. Vocabulum *nervis* seu *numeris* (alterutrum dant codices) supervacuum videtur, et quoniam in ea sententia intelligendum *necesse est*, fortasse hujus formulæ compendium male interpretatum et positum illius vocabuli insertionem adtulit. — § 76. Melius, opinor, legetur : « *at* si in ipsa gubernatione » quam « *et* si cet. »; etenim quædam oppositio inest in sententia.

XXVIII, § 77. Vel omittendum *aut* ante *concedatur*, vel legendum *aut* pro *et quasi*. Inter alterutram formam fluctuabat Tullius; librarius inepte utramque transscripsit. — § 78. Baiterus, auctore Manutio, pro codicum lectione « ex ordine », edidit « ex ore », quod sane præstat; verumtamen facile abesse potest.

LIBER QUINTUS

I, § 3. Valckenarius ad Callimachum, p. 216, legere volebat : « Coloneus ille *lucus* », pro *locus* ; melius, opinor, legeretur *vicus*, quoniam sequitur voc. *incola*, quod non ad *lucum* referri potest.

II, § 4. Baiterus, monente Madvigio, edidit *Carneadis*, contra codices qui dant *Carneades*. Correctionem Valesii legentis *Charmadus*, ab Ernestio ad Orellium usque admissam, merito rejecit, auctore eodem egregio critico. — § 6. Legitur in codice B *novis seu hjis*, unde effectum est : *novisse vis*, quod nec auribus nec sententiæ satisfacit, quæ hic etiam poscit *velis* ; itaque legam : « ut quos *novisse*, *eos* etiam imitari velis ». — Prorsus abundare et inepte abundare censet Madvigius « quem audis », post *Antiochum*, et suspicatur Ciceronem scripsisse : « *quum* audis », quod facile admittam.

IV, § 9. Bakius (ad Cic. de Legg. p. 451) delenda censet tria hæc vocabula : « ut poetice loquar », quasi ab aliena manu adscripta. Idem censeo. — § 10. Merito Bakius (Schol. Hyp. II, § 26) legendum esse monet : « disserendi *quoque* », pro *disserendique*. — § 11. Opinor legendum esse : « ad privatæ vitæ, sed etiam ad rerum publicarum *rationem* relata ». Conf. not. ad IV § 61.

V, § 14. Legam cum Bremio : « summum enim bonum *esse posuit* », pro *exposuit*. — Velim legere : « Critolaus imitari voluit antiquos, *quibus* est gravitate proximus, *sed* redundat oratio : ac tamen ne is quidem in patriis institutis manet ». Prius *quidem*, pro quo scripsi *quibus*, nocet posteriori in lectione vulgata, et obstat similitudini Critolai cum Hieronymo.

VI, § 15. Abesse potest *rerum* post « quæque earum » ; omittitur in codd. B E. — § 16. Fortasse Tullius scripserat : « Ille *enim* vidit », pro *igitur*, quod melius conveniret cum sententiarum serie. — § 17. Abundant verba : « quid ultimum ».

VII, § 18. Tullius, in fine §i 19, non recenset philosophos qui simul voluptatem appetant et dolorem depellant ; nec facile intelligas quid sit *ascire vacuitatem doloris ;* itaque suspicor geminam sententiæ formam in principio hujus §i latere, nostrumque auctorem prius scripsisse : « Voluptatis alii primum appetitum putant, *alii* primam depulsionem doloris » ; et deinde orationem sic mutavisse : « *Voluptatem* alii censent primum ascitam, *alii* primum declinatum dolorem » ; unde obscuram falsamque sententiarum compagem hauserunt inepti librarii, quæ hactenus in libris mansit. Alter-

utra forma ex serie orationis ejicienda est : equidem posteriorem servem. (Vid. ep. ad Att. XVI, 3, 1.) Sic potest manere paulo infra formula « doloris vacuitatem, quam deleri jubebat Ernestius : mihi tamen abundare videtur, et ex scholiastæ manu ortam esse. — § 19. Bene omisit Baiter. *aut* ante voces « voluptatis causa ». — § 20. Legitur in plerisque codicibus : *ne si* etiam evitare posset » ; at secundum Ursinum, Madvigius et Baiterus ediderunt « nisi etiam evitare posset », quod male respondet tum iis quæ supra leguntur : « etiam si nihil consequamur », tum iis quæ infra : « etiam si ea non assequamur » ; quoniam dolorem semper evitare hominibus non datur, hic negatio non addenda erat : itaque legendum opinor : « etiamsi evitare posset ».

VIII, § 21. Codex C habet *de summo ;* itaque malim edere « de summo bono sententiæ », mutatio voc. *summo* in *summa* lectionem vulgatam adduxit *bonorum malorumque ;* legimus paulo infra *summi boni.* — Recentiores editores, Madvig., Klotz., Baiter., omittunt locum : « Quoniam igitur et de voluptate cum Torquato et de honestate, in qua una omne bonum poneretur, cum Catone est disputatum, primum, quæ contra voluptatem dicta sunt, eadem fere cadunt contra vacuitatem doloris », quem alienum jam notaverat Muretus et vetus additamentum esse demonstravit Nissenius. Madvigius etiam contra veritatem et Ciceronianæ orationis leges peccavisse monuit hujus adnotationis auctorem, quam omnes codices exhibent. Vix operæ pretium est addere ex ista interpolatione aliarum minus manifestarum, quales haud paucas indicavimus, suspicionem apud criticos moveri legitimum esse. — § 22. Si addas cum Madvigio *id,* ante « efficit turpe », abundabit ante « ipsum honestum ». — Vere monuit Madvigius non legi posse *dicas*, ut volebat Orellius, pro *dicat*, et durum esse si detur huic verbo subjectum *res ;* itaque legendum opinor : « Ad eas enim *rationes* referre quæ agas, quarum unâ, si quis malo careat, in summo eum bono *dicant* esse, altera versetur, cet. » Compendium vocis *rationes* quam volebat Lambinus, habitum fuit pro voce *res ;* omissa fuit vel neglecta lineola supra litteram *a* in verbo *dicāt* sc. *dicant.*

IX, § 24. Novum hic habemus geminæ enunciationis exemplum ; vix enim talis tautologia ferri potest, quum legas in fine §i eamdem sententiam quæ in altero primæ sententiæ membro enarratur. Cicero prius scripserat : « Omne animal se ipsum diligit ac, simul et ortum est, id agit, se ut conservet atque ita sit affectum ut optime secundum naturam affectum esse possit » ; postquam autem eadem in fine articuli melius posita esse judicaverat, sic orationem mutavit in principio : « . . . . id agit, ut se conservet, quod hic ei primus ad omnem vitam tuendam appetitus a natura datur. » Omittenda ergo videntur verba : « se ut conservet . . . . affectum esse possit ». — § 25. Vix intelligas quomodo dici possit animalium omnium naturam esse communem, quum paulo supra doceatur suam cujusque naturam esse ; itaque vel omittendum incisum : « quoniam omnium est natura

communis », quod facile abesse potest; vel legendum *hominum* pro *omnium*. — Facile assentior Schœmanno (Opusc. Acad. III, p. 399) legenti : « nihil *etiam* prohibet » pro « nihil *enim* proh. » Vid. Suppl. adn. p. 206, apud Baiter. — § 26. Malo legere cum Davisio : « *quo* ad vivendum crescendumque valeant, et suo genere perveniant ad extremum », quam cum Madvigio : « *quæ* ad viv...... *ut* suo genere perv. » Non enim quæ ex vegetabilibus gignuntur, ea vivere et crescere valent, sed vegetabilia ipsa harum partium ope; quod enarratur infra § 33. — Fortasse legendum : « ut iam liceat una comprehensione omnia *complexis* (sc. nobis) non dubitanter dicere », quod melius convenit cum verbis *videmus* et *dicimus* quæ superius leguntur. — § 27. Ciceronem sic scripsisse suspicor : « Vos ignoscetis huius ætati; etenim huic nunc, etc. » Nonius omittit *enim* post *huius* seu *cuius*.

X, § 28. Alienum locum usurpavisse videtur membrum : « res enim concurrent contrariæ », quod aptius sane legeretur post « quod fieri non potest », mutando *concurrent* in *concurrerent*. — Rectius et planius, opinor, procederet oratio legendo : « aut qui, ut ille apud Terentium, decrevit » et deinceps : « suo nato facere ipse, ut ait, dum fiat miser. » — § 29. Aptiorem locum obtinere mihi videntur verba : « nec dubitant » post « scientes irruunt ». — Vix deesse potest oppositio ante membrum : « qui ipsi sibi bellum indixissent », addam *at*, quæ particula facile evanescere potuit.

XI, § 33. Legere malim : « hæc omnia regi *a* natura putant, *quia* si natura negligat, ipsa esse non pos*sunt* ». — Sequar Schœmannum (ibid.) legentem : « *qui* continetur », pro « *quia* continentur », quod admiserant editores recentiores, auctore Davisio; codices habent « qui continentur ».

XII, § 34. Fortasse melius legetur : « *Iam* quæ corporis sunt, etc. » pro *nam*. — § 35. Nihil aliud videre possum in hac sententia : « neque est dubium quin frons, oculi, aures et reliquæ partes quales propriæ sunt hominis intelligatur » quam enarrationem cujusdam scholiastæ, quem produnt voc. *sunt, propriæ*, *intelligatur*. Aliter scribit Tullius, qui si priorem sententiam exemplis confirmare voluisset, elegantius certe et disertius locutus esset. Hoc loco deleto nihil desideres. — § 36. Abesse potest vox *sensus* inter *suo* et *quisque*, ut supra inter *sua* et *cuiusque*.

XIII, § 38. Legam : « *At* enim omnium rerum, etc. »; nam oppositionis signum vix deesse potest.

XIV, § 39. Ciceronem prius scripsisse suspicor in periodi clausula : « ut quo natura ferat, eo possint ire », quam clausulam deinde neglexit quasi supervacuam et minoris dignitatis, et sic orationem immutavit : « ut ipsæ vites, si loqui possint, ita se tractandas tuendasque fateantur »; quod facile agnoscitur vitio duplicis *ut* et duplicis *possint*, atque asyndeto. — § 40. For-

tasse Tullius scripsit : « *Itaque* extremum omnium appetendorum ductum a prima commendatione naturæ, etc. » Latet *itaque* in particula *atque* alieno loco posita ante *ductum*, ex opinione Lambini et Ernestii.

XV, § 42. Si legas : « *Ea* similitudo in genere etiam humano apparet », sententia cum superiori elegantius connectetur : « quam similitudinem videmus in bestiis ». — § 43. Legendum opinor : « virtutis quasi *certamen* efficitur », ob ea quæ sequuntur ; conf. infra § 71. Ineptam vocem *carmen* dant codices ; J. F. Gronovii conjecturam *germen* plerique editores admiserunt. — Madvig. et Wesenberg., quibus obsequutus est Baiter., legendum censent : « per se sit *tantum* inchoata », pro codicum lectione *tamen*. Bake (ad Cic. de Legg. I, 27) : « ut progredi possit longius per se, virtute inchoata » ; ægre enim intelligitur quo, tum in lectione vulgata, tum in priorum criticorum conjectura, participium *inchoata* referatur. Ego vero malim legere : « sed ita, ut *si* progredi possit longius, *perficiat tantum* inchoata. » Conf. § 51.

XVI, § 44. Suspicor legendum : « Sequamurque eam *viam*, quæ *viribus* iis *perficiatur*. » Dant quidam codices *rebus hjis*, alii *perfruatur*, alii *perficiatur*.

XVII, § 46. Sententiam : « Sed quia cuiusque partis naturæ et in corpore et in animo sua quæque vis sit », de cujus constructione non consentiunt viri docti, quod non intelligitur quomodo vox *naturæ* et formula « sua quæque vis » conjungantur cum *cuiusque partis*, ex gemina sententia a librariis compositam fuisse opinor ; unde orta est confusio. Hærebat Tullius inter hanc sententiæ formam : « sed quia sua cuiusque partis naturæ vis sit », et istam planiorem : « sed quia et in corpore et in animo sua quæque vis sit ». Alterutram omittere oportet ; servo posteriorem. — Voc. *summa* quod legitur in codicibus, ut adv. *summe* quod admiserunt editores, alienum ab oratione mihi videtur, nec facile a quovis intelligatur ; ortum est procul dubio a voc. *sua* omisso in priore sententia, ante *cuiusque partis*, et inter versus scripto. — § 47. Displicet usus verbi *deducuntur*, post *ducamus* et ante *ducatur*, neque satisfacit Ernestii enarratio, qui conferre jubet locum Horatii, « febres ægroto corpore deducere » ; quia non convenit cum iis quæ mox leguntur ; itaque legendum arbitror *iudicantur*, quo ipse Tullius paulo supra usus est : « ipsa natura iudicet ».

XVIII, § 49. Fortasse scripserat noster : « *voluisse* videtur », quod melius respondet verbo *finxit*, in quo consilii notio latet.

XIX, § 50. Malim legere : « ætatem in litteris degisse » quam *duxisse*, quo verbo non uti solet Cicero in hoc casu. — Ciceronem scripsisse suspicor : « quæ qui non vident cognitione digna, nihil umquam magnum amaverunt ». Alii alia : lacunæ signum posuit Baiter. — Legam : incommoda futura sit » quod magis quadrat ad usum Tullianum. — § 51. Monet Madvigius nostrum scribere potuisse *absolvimus* post *inchoata*, pro *persequi-*

mur, quod verbum jam supra legitur; ego malim *perficimus*. Cf. § 43. — §§ 51-52. Legam, auctore Madvigio, qui tamen nihil mutat: « Quid, quod fictas fabulas, etc. » « quid quod volumus », pro « quid,? *cum* ». *Quod* et *quum*, seu *cum*, sæpissime permutantur. — § 53. Sequor Lambinum legentem: « cultum aut *apparatum* », ad vitandum ἅπαξ λεγόμενον *paratum*. — § 54. Editorum plerique senserunt verba quæ in codicibus leguntur: « cum se lucis magis quam utilitatis desiderio moveri diceret » scriptoris menti non respondere; vix enim opponi possunt verba *lux* et *utilitas;* quid valet « utilitatis desiderium? Alii alia conjiciunt: equidem Tullium sic scripsisse suspicor: « Quum se *animi* magis quam utilitatis *causa* lucis desiderio moveri diceret. » Tacet Baiterus.

XX, § 55. Madvigius censet dicendum fuisse aut *cum*.... *arbitrentur*, aut *quod*.... *arbitrantur;* equidem legam: *quia*.... *arbitrantur*. — § 56. Bakius (Schol. Hypomn. V, pag. 15) tuetur lectionem *segnitie* contra Madvig. qui prætulit *nequitia;* sic scripsit Baiter. — § 57. Legendum opinor: « tamen in quærendis *rerum* explicandisque naturis ætates conterere videamus »; sic melius intelligitur vox *naturis*.

XXI, § 58. In nonnullis codicibus legitur: « rerum publicarum administratio aut administrandi scientia », in aliis « administrandi sciendique »; suspicor verbum *administrandi* ortum esse ex voc. *scientia;* verbum *sciendique* mutandum esse in *vivendique*, et sententiam sic edendam esse: « deinde rerum publicarum administratio vivendique prudens...... iusta ratio ». Matthiæ servat voces *administrandi scientia*, at legendum censet: « vivendique prudens, etc. » — Incisum: « nec sine causa » alienum locum occupare videtur, et transferendum post verbum *deducimur*. — Legam: virtutis *autem* beatæque vitæ »; quater repetitur *enim*, quod non sine vitio est. — Vocabulum *commodis* de quo ambigitur omittere malim; etenim sæpius legitur *prima naturæ*. — § 59. Minus diligenter Tullius sententiam exhibuisse hoc loco videtur: « Animum autem reliquis rebus ita perfecit, ut corpus: sensibus enim ornavit ad res percipiendas idoneis, ut nihil aut non multum adiumento ullo ad suam confirmationem indigeret ». Quam negligentiam librariis tribuo, qui hic ut alibi, quæ auctor disjungi volebat, miscuerunt; prius enim, opinor, scripserat: « animum autem *in* reliquis rebus ita perfecit ut corpus, sensibus enim ornavit ad res percipiendas idoneis; quod autem etc. »; deinde orationem sic mutavit: « Animum autem ita perfecit, ut nihil aut non multum adiumento ullo ad suam confirmationem indigeret; sensibus enim ornavit ad res percipiendas idoneis; quod autem, etc. » — Voces « sine doctrina » mihi abundare videntur, nec posse servari, quoniam legitur « quasi instituit docere ». Præterea particula *etsi* poscit oppositionem; voces *in ea* non facile intelliguntur; *sed* non bene respondet conclusioni; ergo legendum opinor: *at* induxit *ea* quæ inerant, tamquam elementa virtutis; *itaque* virtutem ipsa

inchoavit, nihil amplius. — § 60. *Sed* nostrum est.» Conf. Bake de Legg. p. 350.

XXII, § 62. Madvigius addit *huius* ante voc. *urbis*, quod bene convenit cum simili mentione §§ 54, 88. Klotz. edidit « *suæ* urbis ». — Malim : « Quis Aristidem non *multum* diligit? » pro lectione vulgata *mortuum*; *multum* respondet adv. *maxime*; quod legitur ante *laudat*. — § 63. Legam cum Davisio « *hærentique* regi », pro *erranti*. — § 64. Jam Victorius ejecerat nomen *Lucretia*, post voces « nostra in republica », quod legitur in cunctis codicibus; id omittunt editores recentiores.

XXIII, § 65. Auctore Madvigio, legam *denique* pro *deinde*, ante verba « totius complexu gentis humanæ ». In iis codicum parum valet auctoritas. — Adverbium *æque* mihi spurium videtur ob tautologiam ineptam quæ inde oritur, quum agatur de justitia ; suspicor Ciceronem scripsisse : « munifice *lateque* tuens ». — § 66. Participium *ingenitum*, quod non alibi legitur apud Ciceronem, seu *innatum*, quod dant codices deteriores, facile abesse potest post verba « generata sit ». Fortasse legendum : « ut habeat quiddam *in se* quasi, etc. » — Voc. *usu*, post *fundet*, abest in optimis codicibus; Baiter. id seclusit; Madvigius vero id non abundare putat. — § 68. Monet Madvigius Tullium non solere uti particula *quamquam* sine verbo, ut sæpe fit apud posterioris ætatis scriptores, Tacitum, Quintilianum ; unde oritur dubitatio de servandis his vocibus « quamquam expetenda », quæ abesse possunt sine damno.

XXIV, § 69. Hic novum subest exemplum geminæ enunciationis, unde tautologiæ vix ferendæ orationem vulgatam impediunt. Suspicor nostrum sic prius sententiam scripsisse : « Hac videlicet ratione, quod et amici cultus et parentis ei, qui officio fungitur, in eo ipso prodest, quod ita fungi officio in recte factis est, quæ sunt orta a virtutibus. Quæ quidem, etc. » ; deinde, post verba « hac videlicet ratione », sententiam pleniorem inseruisse, qua melius objectioni responderetur : « quod ea quæ externa sunt, iis tuemur officiis, quæ oriuntur a suo cuiusque genere virtutis », cui subjunxit : « nam et amici cultus et parentis in eo ipso prodest, quod ita fungi officio in recte factis est. Quæ quidem sapientes sequuntur duce natura ». Librarii vero prioris enunciationis verba quæ absunt a posteriore in textum redintegraverunt. — Deleo cum Madvigio verba *utentes* et *tamquam*. Hæc omnia : « Nam et amici . . . . . duce natura » Bremius delenda existimabat, sed deesset oppositio iis verbis : « non perfecti autem homines ». — § 72. Fortasse legendum : « quæ *ipsis fuerint* principia naturæ » : codices habent *ipsi egerint*, Lambinus conjecit *fecerint*, quem sequutus est Baiterus; Davisius *dederint*, Gifanius *iecerint*. — Baiterus legit cum Davisio : « est *enim* philosophi », contra codd. qui habent *tamen*. — Madvigius desiderat *esse*, inter *tantam* et *vim virtutis* ; cui assentior.

XXV, § 75. Legere malim : « sic hodie *ista* nosse *ita* visus es », mutato loco particulæ *ita*. — *Supplicandum* vix aptum menti et dignitati nostri

auctoris videtur; fortasse scripserat « *a Græcis suscipiendum* » seu « *ex Gr. supplendum.* »

XXVI, § 77. Bakio (de emend. Cic. Oratore, p. 40) spurium videtur *putavit*, ante verba : « vereor ne vera sint »; mihi vero totum membrum suspectum videtur : « cum quibus coniungi vitam beatam nullo modo posse putavit »; etenim ex iis quæ supra et infra leguntur facile suppletur. — § 78. Vere contra codices legunt *quærebam*, pro *quæram*, ante *respondeas*, Madvig. et Wesenberg., quos secutus est Baiterus.

XXVII, § 79. Addenda mihi videtur sive conjunctio *et* post *dicatur*, sive *non* ante *dissentiat*. — Si verba : « quare? inquit » tribuantur ipsi Zenoni, delendum est *respondet;* sic augetur vis et motus orationis. — § 80. Planior etiam et elegantior evaderet oratio, si transferres incisum : « semper beatum esse sapientem » ante verba « quem quidem ». — Dissentiunt critici de sensu hujus sententiæ : « cur tantum habeat in natura boni »; alii alia conjiciunt, nec quicquam satisfacit; mihi quidem admodum supervacua seu aliena videtur, ob ea quæ prius leguntur, unde facile cernes quare Tullius non pugnet cum homine; ea omissa, melius opponuntur verba *pugnem* et *urgeam*. Fortasse scriptum fuit in margine, quod volebat Graserus: « cur tantum habeat in *tauro* boni? » quasi enarratio verborum : « non pugnem cum homine ». Conf. Tusc. II, § 17, 18. — Bene omittunt *quidem* Madvig. et Baiter. inter *quæ* et *dicunt;* ego vero legam deinceps : « qui *ne* umquam *quidem* philosophum pictum, ut dicitur, viderunt ». —Auctore Lambino addidit Baiter. *bona* post voc. *omnium*, probante Madvigio; etenim abesse nequit, quoniam legitur deinceps *mala*.— § 81. Voc. *corporis*, unde tanta oritur confusio apud interpretes, quia sententiæ perspicuitatem turbat, mihi, ut jam Bremio, alienum videtur; cuidam scholiastæ procul dubio debetur qui non vidit hic agi de tertio bonorum genere. — Suspicor Tullium hic, ut § 78, scripsisse : « contra hæc attende : si ista mala sunt », et verba « me nihil dicere » addita fuisse a quodam enarratore non intelligenti quod in mente habebat noster; quibus omissis nihil opus addere, ut volebat Madvigius : « illud dicere ». Libentius saltem ex vulgata oratione verba vel supervacua vel obscura omittam quam addam incerta. — Legendum opinor : « *ut* nemo nimium beatus est, *ita* nemo beato beatior ». — § 82. *Fuerit* mihi videtur abundare post « ut item sapiens ».

XXVIII, § 83. Monente Madvigio, Baiter. edidit *ordiendum*, pro *audiendum*, contra codices. — Nonnulli codices habent *inquam*, inter *non enim* et *quæro*, alii *cuiquam ;* fortasse igitur legendum : « non enim *iam* quæro » Cod. B dat « non *enim* quæro », quem secutus est Baiter. — Lambinus viderat legendum esse « *ut* in geometria », quod confirmavit Cod. B. — Incisum « vide rursus retro » videtur transferendum post « vestri non item », ne interrumpatur argumentorum series. — § 84. « Tria genera bonorum », scilicet bona animi, bona corporis, bona externa. Conf. Tusc. IV,

62, V, 85. Si servetur hoc incisum, quod mihi e margine in orationem fluxisse videtur, ponendum est post verba : « proclivi currit oratio ». — Jungam, auctore Bremio, verba « audeo dicere » iis quæ prius leguntur : « honesta oratio, Socratica, Platonis etiam » ; sed omittam *inquit*, quia hæc in ore sunt Tullii, et sequar codices qui habent *potest ;* at legam *retexuerit*, quia verbum utrumque respondet membro : « *cupit* enim dicere nihil posse ad beatam vitam deesse sapienti » ; aliter enim penderet. — Opinor legendum : « Quippe, inquiet, cum *iam* docuerim gradus istam rem non habere », omissis iis quæ sequuntur : « quam virtutem in qua sit ipsum etiam beatum ». Codices habent *tam* pro *iam*, unde ortum est supplementum quod omitto, sane supervacuum vel potius ineptum. Madvigius velit addere *magis* ante *habere* ob *quam*, neglecto *tam*. — § 85. Si quid inter *incredibile* et *beatissimum* additur, malim legere *quia* cum codd.

XXIX, § 86. Apud omnes codices legitur : « Tecum enim, ut ait Theophrastus, mihi instituenda oratio est » ; Lambinus jam viderat hoc incisum : « ut ait Theophrastus », transferendum esse post verba : « omnis auctoritas philosophiæ », cui obsequuti sunt Gruterus, Lallemandus, Ernestius, contradixerunt vero Goerenz. et Orelli ; at Madvig., Klotz., Baiter. denuo in verum locum id restituerunt. Mihi quidem occasio apta videtur admonendi horum librorum codicibus fidem minorem habendam esse, quam hactenus editores recentissimi iidemque doctissimi iis præstiterunt. Manifestus error librarii hic proditur, qui locum non vidit in quem seu correctio marginalis, seu omissum levitate cujusdam anterioris scribæ incisum inseri debuit. Quot errores minus evidentes excogitari possunt, quorum causa scriptori ipsi negligentiæ crimen inferri potuit ! — § 87. Nec sensui nec auri satisfacit *hoc*, inter *quare* et *videndum est*. — Verbum *quæremus* de quo ambigitur, facile abesse potest post « vere falsone ». Addidit *non* Baiterus, auctore Davisio. — § 88. *Enim* mihi videtur abundare inter *post* et *hæc*. — — Codices habent *fecit* ante verba *alio modo*, quod, auctore Manutio, Baiterus omisit. — Codex B dat *omnino* pro *minimo ;* suspicor voc. *omnino* glossema esse formulæ *ullo momento*, et mutatum fuisse in *minimo*, quod supervacuum est. — § 89. Optimi codices B et C habent « quibus illa *appellant*, seu *appellent* » ; ceteri « quibus idem dicant », quod ab editoribus admissum fuit. Miratur Madvigius « unde in meliore familia substituta sit hæc putida et inanis appendicula ». Equidem hic novum vestigium video correctionis ab ipso scriptore opus recensenti factæ ; prius scripserat : « illa appellent », quod in primis exemplaribus repetitum fuit ; deinceps maluit : « idem dicant », seu vice versa. — Incisum « quanti res quæque sit » abundare mihi videtur et deberi scholiastæ cuidam quem fugiebat verbum *constiterit* respondere iis quæ posterius leguntur : « dum res maneant, verba fingant arbitratu suo ». — Sententia : « Si homines essent, usitate loque-

rentur », aptius opinor legeretur post « arbitratu suo »; sic planius et concinnius omnia procederent.

XXX, § 90. Codices habent « *ut* sæpius dicas me aberrare » quod mutandum fuit in *ne*, ut scriptoris mens exprimeretur. Gœrenz legebat *ut ne*. — Alienum a textu voc. *Stoicos* videtur, quod facile intelligi potest, et nonnihil orationi obest. — § 91. Codices habent « *parum* aliquid damni »; Bremius legere volebat *paulum*, cui Madvig. et Baiter. assentiuntur; equidem alterutrum vocabulum, seu *paulum*, seu *parum*, hic et alibi abundare opinor. — Membrum « potius quam aliquod novum exquirere » quod codices alii alio modo exhibent, et de quo editores multa tentaverunt, mihi omnino scriptoris menti alienum videtur; nam contradicit verbo *audebo;* si hoc servari velis, legas oportet seu *malim*, seu *anteponam*, pro *audebo*. — § 92. Hic et loco simili, qui legitur Tusc. V, 51, legam : *depromet*, *depromat*, quod satisfacit et veritati et scriptoris menti, et facile a librariis in *deprimet*, *deprimat*, mutari potuit.

XXXI, § 93. Medicinam attulisse huic loco mihi videor transferendo verba : « Quis hoc dicit? Stoici scilicet » in principio hujus §i post *obruebantur*, ubi optime cum prioribus et posterioribus connectuntur. Omittam adverbium *minime*, quod additum fuit ob præposteram translationem a librariis effectam. — Verba : « omnibus virtutibus ornatorum » non modo abundare, sed etiam orationis cursui nocere mihi videntur. — Codices dant : « voluptate maceret », pro quo editores admiserant « voluptatem aceiret » quod servavit Madvig. Klotz. volebat *faceret*, Baiter. edidit *crearet;* ego malim : « voluptatem *afferret*, quod minus differt a codicum lectione.

XXXII, § 95. Suspicor Tullium scripsisse : « resque laudabiles magna et summa virtute gestæ », pro vulg. « resque magnæ et summe laudabiles virtute gestæ. » — § 96. Schütz. transponebat « verbis aptis » post « dicta sunt a te »; ea verba, auctore Gœrenzio, seclusit Baiter.; est enim manifestum glossema ad adverbium *plane*.

TUSCULANARUM DISPUTATIONUM LIBER PRIMUS.

I, § 2. Fortasse Tullius scripserat : « Quæ tam excellens in omni genere virtus in *aliis* fuit, ut *sint* cum maioribus nostris compar*andi* »; sic oratio videtur concinnior. — § 3. Vix abesse potest *enim*, post *annis*, etiamsi desit in optimis codicibus G R, sed omittam membrum : « qui fuit maior natu quam Plautus et Nævius », quod auctore Kuehnero Baiterus seclusit.

II. Codices habent : « Nec tamen sic qui, etc. », unde plerique editores effecerunt : « nec tamen si qui, etc. » Tregderus autem « nec tamen sic, qui, etc. »; equidem malim « nec tamen *sic*, *si* qui, etc. » — § 4. Sequar Bentleium et Cobetum legentes : « omnesque *incendimur* ad studia gloria », pro vulgata lectione *incenduntur*.

IV, § 7. Nihil obstat quominus legas cum Bakio : « Sed ut Aristoteles.... *commotus* Isocratis rh. gloria », pro « quum motus esset ». — Contra codices addit Baiterus *docere* post *dicere*, quod Orellius ponit post *adolescentes*. Ego vero legam *docere* pro *dicere*, et omittam *et* ante *prudentiam*. — Codicum lectio « operam dedimus », quam Muretus correxit omittendo *operam*, vestigium haberi potest geminæ enunciationis, quasi Tullius prius scripsisset : « cui studio ita nos operam dedimus ». — Malim *et* seu *ac* legere, ante adv. *nuper*, quia *ut* jam prius et post legitur.

V, § 9. Verba « ut morerentur » scholii habere speciem videntur. — Idem dici potest de membro : « moriendum est enim omnibus ».

VI, § 12. Legam cum Mosero *tu*, inter *dicis* et *eum*. Baiter. cum Bakio seclusit vulg. *tum*.

VIII, § 15. Vix Ciceroni tribuere licet verba « in vita », quæ leguntur post *haberemus*, merito suspecta Davisio et Schützio et nuper etiam A. de Jongh, ea Baiterus seclusit, equidem ea prorsus ejiciam. — § 16. Verba « post mortem », quæ leguntur post incisum : « cui proximum tempus est », nihil aliud sunt quam glossema et prorsus abundant. — § 17. Legam cum Bakio : « superbum id quidem *esset* », pro vulg. *est*.

IX, § 19. Eumdem sequor legentem : « ut fere nostri declarant; nam, etc. », omissa voce *nomen*, quæ orta est ex prava scriptura part. sequentis *nam*. — Cujusdam grammatici scholion, quod diutius orationem Tullii in-

fecit: « et animosos et bene animatos et ex animi sententia » prorsus deleam. Id spurium esse primus vidit Schützius, illud tamen tuetur Orellius, at uncis inclusit Baiterus.

X. Addiderat Manutius *sanguinem*, post *cor*, quod ab aliis admissum, etiam ab Orellio, omittendum censuit Klotzius, quoniam unius hominis est opinio, non *vulgo* hoc putabatur; idem dicendum et faciendum de voce *ignem*, quæ ad Zenonis opinionem refertur. — Fortasse legendum : « proxime autem Aristoxenus..... ipsius corporis intentionem quamdam *velit*, *ut* in cantu et fidibus quæ harmonia dicitur, *et* sic ex corporis totius natura et figura varios *animi* (add. Schütz.) motus cieri, tamquam in cantu sonos. — § 20. Manutium sequar, monente Wesenbergio, legentem : « negavit esse *ullum* » pro vulg. lect. *verum*. Conf. Acad. II, 124.

XI, § 24. Abesse potest *dicam*, post « Quid de Dicæarcho? »

XIII, § 29. Bakio omittenti *nobis*, post *hinc*, merito obsecutus est Baiterus. — Idem egregiam Keilii correctionem admisit legentis: « tractari cœpta sunt », pro codd. lectione « tractare cœpissent ». — § 30. Malim legere, ut conjecit Buherius, mirante Orellio, probante Bakio : « aut consessus », quam excludere « aut consensus », quod merito suspectum est. — Wesenbergio non assentior Orellium laudanti quod, cod. Bern. secutus, legerit *hoc*, pro *hæc*, in sententia : « Atque *hæc* ita sentimus natura duce nulla ratione nullaque doctrina ». Quoniam de dolore et de luctu agitur, verbum *sentire* hic pro *judicare* non usurpatur, quod verbis « nulla ratione nullaque doctrina » demonstratur.

XIV, § 31. Voc. *monumenta* inter *sepulcrorum* et *elogia*, quod manifestum glossema criticos diutius fugerat, primus seclusit Tregderus; prorsus deleri potest.

XV, § 34. Interrogandi signum ponam post verba : « Quid enim Phidias ». — Verbum *inclusit* vocibus « sui similem speciem » non respondet; lego in margine Schol. Hypomn. Bakii tom. IV, pag. 76, conjecturam *insculpsit* a quodam erudito lectore scriptam, quæ mihi aptior videtur. — Legam deinceps « quum inscribere nomen liceret », scilicet quamvis liceret inscribere nomen, maluit sui effigiem insculpere, de nominis fama securus.

XVI, § 36. Hi Stephani, *terrores*, pro *errores*, legentis, conjecturam non negligam. — § 37. Verba « unde animæ excitantur » cum O. Ribbeck, Ciceroni relinquo; sed incisum « imagines mortuorum », sic legitur in codicibus, mihi videtur referri ad ea quæ sequuntur, quasi scholion. — § 38. Suspicor quoddam verbum, quale *existimasse*, latere in particula *etiam*, quod verbo *dixit* opponebatur; etenim *dixisse* intelligi non potest, quoniam Pherecydes primus *dixit*. *Itaque* valet « et ita ». — Merito seclusit Tregderus voc. *honore*, ante *disciplina*, probantibus Sauppio et Baitero, renuente Wesenbergio; glossema est vocis *auctoritate*.

XVII, § 41. Alienum locum obtinere mihi videtur membrum : « multo etiam integriora ac puriora sunt, ut a terra longissime se efferant » et aptius legi § 40 post verba « natura repellantur », nisi malis in eo prioris enunciationis vestigia videre. Deinde legam post verba « non intellecta natura » : « horum *quicquid* animus est, ne tam vegeta *res* aut in corde, etc. » Th. Bentley conjiciebat *res* pro *mens*.

XVIII, § 42. Merito Wolfius seclusit verba : « id est animalem », quæ uncis liberavit Orellius et post eum Baiterus, obliti eorum quæ § 40 leguntur « animales, id est spirabiles. »

XIX, § 43, Bakius delere vult *cœlum*, inter *omne* et *hoc*, sed manifeste hoc loco sensu vulgari id nomen a Tullio adhibetur, quod ipsius verba indicant. — Suspectum est part. *iunctis*, quod vix cum *ignibus* construi potest; codices habent *iunctus*, quod tuetur Bakius referens ad ipsum animum; idem corrigit *temperatis* pro *temperato*. Equidem legam : *mixtis* ex anima tenui et ex ardore solis *temperatis* ignibus insistit. » — Malo legere cum Bentleio : « Tum enim sui.... adeptus », quam servato *cum* addere *est* post *adeptus*. — Secludam, monente J. J. Hottingero, incisum « cum ad sui simile penetravit », quod prorsus abundat, quoniam idem bis jam dictum fuit, et obstat quominus pronomen referatur ad nomen *sedes*, in iis quæ sequuntur, ubi male legitur : « in *quo* nulla re egens » pro « in *qua* ».

XX, § 46. Opinor legendum : « Nos *autem* ne nunc quidem oculis cernimus ea, quæ videmus » ; inest enim oppositio inter futuram et præsentem conditionem. — 47. Vere Bakius, opinor, legendum esse censet : « quale quidque *est* », nec in ea re codicibus fidendum, qui habent *sit*.

XXII, § 52. Sequutus est Bakium Baiterus verba « quo monet » secludendo. — Idem edidit, auctore Wesenbergio, consentiente Madvigio : « Hunc igitur nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi præceptum tributum deo » ; codices autem habent : « tributum a deo sit hoc se ipsum posse cognoscere ». Equidem legere malim : « *Hoc* igitur, nisi divinum esset, non esset acrioris cuiusdam animi præceptum, tributum deo. » In aliis locis similibus de animo non agitur, quæ notio aliquid ambiguum præstat ob usum vocis *animi*, in versu sequenti. Conf. de Fin. V, 44, de Legg. I, 58. Jam pridem omissa fuit clausula « se ipsum posse cognoscere », in qua *posse* locum occupavit verbi *nosse* ; unde additum fuit *cognoscere*.

XXIV, § 59. Fortasse legendum : « aut quam habet vim aut unde? » omissa voce *natam*, quam hauserunt editores ex codd. lectione *naturam*, quæ haberi potest glossema vocis *vim*.

XXV, § 62. Voc. *animus*, inter *qui* et *vidit*, seclusit Baiterus ; equidem legam *primus*, ut volebat Buherius. — § 63. In verbis « sine divino ingenio » conditionem latere non vidit Bakius ; itaque legendum *potuisset*, non *potuit* ut volebat. Conf. § 32 C. XV.

XXVI, § 65. Pron. *hoc* seu *haec*, ante *expressimus*, omittendum vidit Prellerus, quem secuti sunt Wesenberg. et Baiter. qui id secludunt.

XXIX, § 71. Abundare mihi videtur voc. *animis*, ante *admixtum*, quia cum iis quæ prius leguntur « in animi cognitione » non convenit. — Addit *quidem* Madvig. et legit : « ne interire *quidem* igitur » ; eum Baiter. secutus est; equidem malim : « igitur ne interire quidem ». — Voce *diremptus*, quæ est ἅπ. λεγ. facile carebo. — Codd. habent *iunctione*, quæ vox videtur etiam hoc uno loco a Cicerone scripta. Baiterus cum Madvigio edidit *coniunctione*.

XXX, § 73. Non negligenda videtur conjectura Lambini legentis : « ut *cygnis*, « quod respondeat dativo « sic omnibus bonis » intelligendo « evenire, accidere solet ». — Legendum opinor : « qui *tam* acriter oculis deficientem solem intu*entur*, ut aspectum omnino ami*ttant* »; imperfecta ex mutatione inepta particulæ *tam* in *cum* orta sunt.

XXXI, § 75. Platonis sententiam (Phædon. p. 80. E) : τοῦτο οὐδὲν ἄλλο ἐστιν ἢ τεθνάναι μελετῶσα ῥᾳδίως, melius referret oratio latina legendo : « nihil quicquam aliud est quam mori discere »; ubi abest interrogatio. Cum Tregdero edidit Baiterus : « ecquid aliud est quam mori discere ? » — § 76. Legendum opinor, omissis verbis « ab eo », quæ Ernestius abundare vidit : « Tantum autem abest ut malum mors sit, quod tibi dudum videbatur, ut verear ne homini nihil sit non *modo* aliud *certius*, sed nihil bonum potius ». Quæ sententia mihi Tullianæ orationi magis consentanea videtur, quam subtilior illa quæ ex vulg. lect. elicitur. Codices habent : « aliud certe sed nihil ». — Wolfius intelligit *refert*, ante « adsunt enim qui hæc non probent »; fortasse voc. omissum est, quale *maximi*, *magnopere*, *admodum*; rarius enim legitur hoc verbum *refert* sine determinativo. — § 77. Magis placet Buherii conjectura *respicio*, quam vulg. *despicio*. — Recte omisit Baiterus verbum *contemnit*, quod alii secludunt; ortum videtur ex prava sententiæ interpretatione, et lectione *despicio*.

XXXII. Exempla desidero in quibus legatur : « Num non vis »; itaque legam seu : « numne vis igitur », etc., seu : « nunccine vis igitur, etc. »

XXXIII, § 81. « Facie *avi* vel patris » censet legendum esse C. F. Hermann. ; vix enim aliter intelligas particulam *vel*, quam codd. habent.

XXXIV, § 82. Deleam cum Lambino, laudante Wesenberg., *quoniam*, ante vv. « ipse animi »; id secludunt Tregderus et Baiterus. — Malim cum Davisio : « ut *cedam* », pro *credam*.

XXXV, § 85. Nec optimorum codicum lectio, nec variæ priorum criticorum conjecturæ mihi hæc verba in accuratissima Baiteri editione legenti : « quasi vero ista vi quicquam tum potuerit ei melius accidere. Quod si ante occidisset, talem eventum omnino amisisset » satisfaciunt; Ciceronem sic scripsisse suspicor : « *quæ si vera sunt*, *vix* quicquam tum potuerit ei melius accidere ; quod si ante occidisset, tale *canticum* omnino *non admisis-*

set. » Vocc. « tale canticum » paulo supra enarrantur : « tam flebiliter illa canerentur ». — § 86. Vere Baitero verba : « non liberi defleti » alienum emblema esse videntur, quod circumscripsit.

XXXVI, § 88. Codices habent *arguendum*, quod mutatum fuit in *argumentum*; participium *premendum* autem eo sensu apud Tullium non legitur, qui uti solet participio *urgendum*, quod mihi latere videtur in falsa lectione *arguendum*. Sic voc. *argumentum* abesse potest. — Puto Ciceronem scripsisse ut infra : « carere in mortuo », pro vulg. « in morte ».

XXXVII, § 90. Admodum placet Bakii correctio : « quamquam *huc* quidem nimis sæpe *redeo*; codd. hab. *hoc, sed eo*.

XXXVIII, § 91. Idem vidit addendum esse *si*, post verba « natura vero »; sed legit « si se sic habet », quod admisit Baiterus; equidem malim cum Grasero : « si sic se habet ». — § 92. Egregia correctio debetur Keilio (Quæst. Tull.) legenti *sui* pro *sues*, in sententia : « Ne sui quidem id velint », quæ sic legitur apud Baiterum. — Incisum « qui est mons Cariæ » alienum esse a scriptore viderat A. Augustini, idque Wolf. secluserat; Bakius denuo idem monuit, cui obsequutus est Baiterus.

XL, § 96. Hæc verba : « Græci enim in conviviis solent nominare cui poculum tradituri sint », pro glossemate merito habebat J. J. Hottinger. Etenim in carcere non convivii tempus erat, et hujus moris mentio præpostera narrationem inepte tardat.

XLII, § 100. Aegre mihi persuadeam ex Tullii calamo tam levem et negligenter enunciatam sententiam fluxisse, quam quæ legitur his verbis : « Nam vitæ miseræ mors finis esse videtur : mors si est misera, finis esse nullus potest », qua deleta nihil quicquam desideres. Tullius vitabat hexametri clausulam « esse videtur. » — § 101. Omnes hodie uno ore consentiunt delendam esse fœdam illam interpolationem quæ diutius Tullii contextum infecit : « Quid ille dux Leonidas dicit? Pergite animo forti, Lacedæmonii : hodie apud inferos fortasse cœnabimus. Fuit hæc gens fortis dum Lycurgi leges vigebant ». Rarius exemplum!

XLIII, § 104. Fortasse legendum : « Durior Diogenes, et is *quippe idem* sentiens ». Codd. habent *quidem* in quo latent duæ voces quas restituendas esse puto. Jam Bentlei. addidit *idem*.

XLIV, § 107. Quidni legeretur? « *Quæ* quam essent dura, si sentiret; nulla sine sensu. » Potuit *quam* codicum absorbere *quæ*.

XLV, § 108. Novæ elaborationis vestigium Reiskius primus vidit qua Tullius ultimam § 108 sententiam : « ita tamen, ut mortuorum corpora nihil sentire vivi sentiamus » prorsus mutavit, et primam §[i] 109 in ejus locum supplevit, quod librarium fugit. Wesenbergius autem Reiskii opinionem primus extulit eique, verba supervacua secludendo, obsequutus est, non repugnante Baitero. Hoc mendum sæpius evenisse quam opinantur critici, his in Curis demonstravisse speramus. — § 109. Non

minorem tautologiam animadvertas in hac sententia: « quamquam sensus abierit » et ea quæ mox legitur: « quamvis non sentiant, « quarum alterutra manifesto abundat: secunda in codice Bernensi deest, illamque Bentlei., Davis, Wolf., Schütz. circumcidunt; fortasse ipsi Ciceroni debetur qui prius sic scripserat, et deinde alteram prætulit; sed librarius scriptoris mentem non intellexit. Tacet Baiterus.

XLVI, § 110. Deesse mihi videtur oppositio in principio hujus sententiæ: « Verum multitudinis indicium, etc. » itaque legam : « *At* verum, etc. », quæ particula omissa fuit, quia *verum* habitum fuit oppositionis signum.

XLVIII, § 116. Fortasse hic, ut alibi, adv. *rursus* latet in voce *rebus*, quæ merito Lambino nostroque editori suspecta fuit. — Planior et justior oratio procedet, ni fallor, si addas *si*, inter *cui* et *rationes*, etc.

LIBER SECUNDUS.

I, § 1. Displicet particula *quidem*, post *mihi*, quum supra legas: « ego *autem*, quod jam respondet priori *quidem*, post *Neoptolemus*; suspicor Ciceronem scripsisse: « necesse mihi *quoque* esse arbitror philosophari. » — Omittunt codices *in*, ante voc. *philosophia*. Bentleio suspecta sunt verba « in philosophia », et facile abesse possunt. — § 3. Lacunæ signum ponam in sententia : « Etenim si orationes . . . . . volebamus » seu addam præpositionem *contra* ante *orationes*, scil. *dicebant*, sumptum ex superiori sententia. Vix enim ferendum tam durum ἀνακόλουθον; nec facile intelligendum quod supplet F. A. Wolfius: « nactæ sunt adversarios »; vel quod addere volebat Buherius : « etsi a plerisque probarentur, reperiebantur tamen nonnulli, etc. »

II, § 5. Dubito an intelligi possit voc. *laudes*, post « reliquas omnes »; itaque legendum arbitror, seu : « reliquas *res* omnes », seu : « reliquas *artes* », omisso *omnes*. — Deest junctura inter ea quæ de eloquentia jam senescenti et de philosophia nascenti dicuntur; quare plene interpungendum esse, ante voc. *philosophia*, quidam censuerunt, alii legendum *nascitur*. Equidem opinor mutandum *atque* in *utque*, ante *oratorum*, seu potius *oratoria* quod conjiciebat Bentleius et probat Bakius; itaque minori distinctione utar post *transtulerunt;* et intelligam *necesse est*, seu *naturæ consentaneum est*. — Bakius malit legere : « *et* his temporibus », pro *ex;* ut reperitur in nonnullis codicibus. —

Omittam *quam*, inter *ultra* et *id*, cum Manutio et Tregdero, sic non opus est addere *ad; quam* ortum est ex formula *ultra quam* qua sæpius utuntur.

III, § 8. Sequar Bakium legentem : « minus ita faciendum esse *censemus* », pro *sentimus*, omisso *id* ante *ita*. Baiterus servat *sentimus*, secludit *id*. — § 9. Legam cum Halmio : « quod *est* ea », pro *esset*.

IV, § 11. Bakius Ciceronem scripsisse *præscriptis* pro vulg. *præceptis* suspicatur, ob particulam *quasi*, quæ hic aliena videtur; sed quoniam dixit scriptor *quibusdam*, ea particula ad verbum *confirmat* pertinet; nec quicquam mutandum.

V, § 14. Malim cum Halmio legere : « id dicere *equidem* », quam cum Wesenbergio : « id quidem dicere », ob verbum *pudet*. — Sententia flagitat ut legatur : « quis est non modo *non* recusandus, sed ultro *etiam* non adpetendus, subeundus, excipiendus dolor? » In talibus parum valet codicum auctoritas, qui fere semper dissentiunt.

VI, § 15. Codices habent : « multorum *et de* variis disciplinis philosophorum »; Bentlei legebat « m. *et e* variis d. »; equidem omittam *et*, et legam : « *e* variis disc. » Tullius non solet addere part. *et* post *multi*, ut *καί* apud Græcos post *πολλοί*.

VII, § 17. Delendum vidit Bakius *Hercule*, post *iuravi*. Baiter. id seclusit. — § 18. Omittendum esse monuit Bentleius voc. *voluptatem*, post *Epicurus;* illud Orellius seclusit, Baiter. delevit.

VIII, § 20. Magis consentanea cum Sophoclis fabula lectio esset, si ederetur : « *qui* cum *a* Deianira .... ait *illa* », quod vidit Schlenger. (Philol. XII, p. 280).

XI, § 26. Suspecta Bentleio verba « et proprium » Baiter. seclusit. — Libenter sequar Klotzium legentem « verti *non nulla* de Græcis », pro vulg. *multa*. Codd. habent « verti enim multa ». — § 27. Merito addendam esse censet Bakius conj. *quum*, ante *inducunt*, et interrogationis signum post *viros* transfert. — Idem, non sine causa, legere velit : « hæc a pueritia et legimus et ediscimus », pro vulg. « hæc et a pueritia leg. et ed. »

XIII, § 30. Intelligo incisum « verbis gloriantem », quasi diceret scriptor : « verbis gloriando profitentem : nihil bonum, etc. » — Libenter equidem assentiar Bakio legenti : « nec malum ullum, ne si in unum quidem locum conlata omnia sint », pro vulg. l. « ne malum quidem ullum, nec si in unum locum, etc. » — § 31. Fortasse legendum : « *etsi* laborantem ». Lambinus et Bentleius addunt *frustra*, quos sequutus est Baiterus F. A. Wolf. legebat : « et laborantem *tamen* ». — § 32. Bentleius conjiciebat *despiciendus* pro *sepeliendus*, quod vix de dolore dici potest; ego malim *spernendus*, quod a vulgata minus differt.

XIV. Ernestius et Bakius legendum censent : « ecquid nescis igitur, etc. » pro vulg. l. « ecquid scis igitur »; equidem malim : « Atqui scis,

si quid, etc. » omisso *igitur*, quod, hic alienum, fluxit e versu superiore. — § 33. Vix abesse potest pronomen *te*, inter *potes* et *dicere*, quod addendum esse censebat Bentleius et post eum Davis. et Wolf., si servetur *aut* ante *Philoctetam*.

XV, § 35. Codices habent vel *Græculli*, vel *Græci illi*, unde Baiterus legendum esse conjicit *Græculi*, omisso *illi*; at vereor ut vox *Græculi* sic usurpari possit sine ullo nomine ad quod referatur; nec facile caream pronomine *illi* ante *quorum*. — § 36. Hæserunt critici in verbis « quam *fertilitas* barbara »; Bentleius conjicit *futilitas*, Buherius, *teneritas*; equidem legendum opinor *ferocitas*, ita ut Lacænæ virgines fortitudine comparata quam innata magis glorientur.

XVI, § 37. Glossema videam potius in verbis « ad modum » quam in formula « ad tibiam », et lacunæ signum ponam post verbum *procedit*. Fortasse legendum: « *quoniam* procedit *in aciem* ad tibiam nec adbibetur, etc.» — Conjecturam Wolfii legentis: « *nosti* exercitus primum unde nomen habe*at*, vides deinde qui labor *et* quantus agminis » non spernam, addito *et*, ut volebat Davisius.

XVII, § 39. Vere, opinor, legebatur, cum Davisio et Orellio, « non *potis* ecfari », quoniam verbum *ecfari* est transitivum; paulo supra legitur « non *potest* accedi », quia verbum *accedi* intransitive adhibetur. — Verba: « quiesce igitur et volnus adliga » poetæ relinquam cum Bentleio. — § 40. Vocabulum *exercitationis* abundare mihi videtur. — Perturbationis signa manifesta sunt in hoc §, unde, ut agnoverunt critici, orationis series laborat, cui vitio medicinam adhibuisse arbitror transferendo, ante voc. *aniculæ*, sententiam: « consuetudinis magna vis est: pernoctant..... ne ingemiscunt quidem »; sic bene omnia procedunt, nec rumpitur quod de athletis narratur. — Augustini conjectura « nudi pugiles » non displicet. — § 41. Vix intelligas quomodo Olympiorum victoria consulatui comparetur; itaque Ciceronem scripsisse suspicor, seu: « Olympiorum victor ille *cumulatus laudibus* vel *honoribus* videtur »; seu: « Olympiorum victoria *cumulus* ille *amplissimus* videtur; conf. T. D. I. § 110-111; seu: « *consularis* ille *triumphus* videtur »; conf. pro Flacco § 13. — Bakius legendum esse censet: « qui quærant, *si* quid velint », ut perpetua consuetudo postulat.

XVIII, § 43. Operæ pretium est hic insignem Madvigii adnotationem perscribere quæ p. LII Præfationis ad Libr. de Fin. legitur: « Tusc. II, 43 hoc ponitur: « *Quod ergo et postulatur a fortibus et laudatur quom fit, id* « *aut extimescere ueniens aut non ferre praesens nonne turpe st?* Atqui « postulatur et laudatur doloris patientia, extimescitur nec fertur dolor. « Hæc igitur a Cicerone confusa esse, Nissenius animadvertit, addiditque « modeste, quod putidum videtur dici, scriptoribus antiquis quædam in- « hærere excusanda magis quam probanda aut imitanda: modo ne ana-

« coluthon esse dixisset : nam syntactica orationis forma optume constat. « Quid Moserus? Non ferens audaciam Nisseni, abesse ait post *quom fit,* « quod facillume intellegatur (!) *dolorem pati*, ex eo haud difficulter au- « diri *dolorem perpetiendum*. Sed quid fiet conclusione et sententia, si « aliud est *quod*, aliud *id?* » Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν.

XIX, § 44. Opinor legendum cum Bakio : « *is* tantum monet, quantum intelligo »; nam si legas « quantum intelligit », videbitur ironice loqui Cicero, quod nondum decet.

XXI, § 48. Quoniam verbum *tueri* refertur ad famulos, vix abesse potest præp. *ad*, ante *dignitatem*, ut hoc voc. cum part. *revocatos* nectatur, sicut volebat Bakius.

XXII, § 52. Fortasse Tullius scripserat : « Si *tentatum* dolore corpus », pro vulg. *tactum*. Conf. T. D. IV, § 31. c. XIV. — Membrum : « Nec in dolore magis quam eadem in voluptate », alienum ab scriptoris oratione mihi videtur, cujus sensui obest et motum tardat. — § 53. Legendum esse censeo seu : « animum *componit* », seu : « *murmur* vel *gemitum* comprimit », pro vulg. « animum comprimit ».

XXIII, § 55. Desidero lectionem *lessus*, pro *fletus*, quæ in nonnullis codd. legitur, Mureto, Davisio, Dirksenio probatam, a Cicerone ipso, Legg. II. § 59, memoratam.

XXIV, § 56. Nonne legendum : « Quid? qui *solent* exclamare maius, etc.» pro *volunt?* — Voc. *ungulis* dubitationem movet; non alterum hujus formulæ « omnibus ungulis » exemplum in veteribus libris reperitur, quæ hic minime apta est, quoniam de voce agitur; legam *nervulis*, ut legitur apud Cicer. Ep. ad Att. XVI, 16 C., seu *nervis*.

XXV, § 60. Geminæ elaborationis hic fortasse novum vestigium habemus: prius, opinor, Cicero scripserat : « Quia si *quis*, quum tantum operæ philosophiæ dedis*set*, dolorem tamen ferre non pos*set*, satis esset argumenti malum esse dolorem; plurimos autem annos in philosophia consumpsi nec ferre possum : malum igitur est dolor. » Tum brevius sententiam expressit, et confitenti philosopho lenius : « Quia si, quum . . . . dedis*sem*, satis esset argumenti malum esse dolorem ». Quam posteriorem formam si admittas, omnino supervacuum fit alterum argumentationis membrum : « plurimos . . . . . est dolor.»

XXVI, § 62. *Videmusne* idem valet ac « annon videmus »; sin aliter, legendum est *ullum*, pro *nullum*. — Addendum *ii*, inter verba *petessunt* et *nullum*. — § 63. Bakius non vidit oppositionem quam inter honestatem et honestatis opinionem indicare voluit noster, et mutandum censet *quum* in *quam;* sed quid valebit *ipsam?* — § 64. Merito Baiterus, post *altissimam*, voc. *animi* seclusit.

XXVII, § 65. Apud quosdam codices legitur : « barbari *quidem*, pro *quidam; quidem* respondet particulæ *autem;* voc. *homines* loco motum

est ob adj. *quidam* et restituendum post *immanes*. Baiterus scripsit : « barbari quidam et immanes ferro, etc. » — Membrum : « At Cimbri et Celtiberi in prœliis exultant, lamentantur in morbo » alienum locum usurpavisse manifestum est; transferendum est supra, post « non queunt », legendo *ut* seu *sic*, pro *at*.

LIBER TERTIUS

II, § 3. Ciceronem scripsisse opinor : « ut nobis optime naturæ *viam intisse* videantur ». Alii alia conjiciunt. — Libenter cum Bakio legam : « veramque illam honestatem *esse putans* », pro vulg. *expetens*, et monente Baitero, servata voce *virtutis*, post *effigiem*, deleam *gloriæ* post *imaginem*. — § 4. Malim legere : « qua *inanitate* », ut § superiori, pro *cæcitate*. — Delenda censebam verba : « quod insipientibus contingit omnibus »; idem opinantur Bakius, Heinius, Baiterus, qui ea seclusit.

III, § 5. Merito Bakium sequutus est Baiterus legentem : « *Hoc* enim *ipso* odiosi sunt » pro vulg. lect. : « *Hi* enim *ipsi*, etc. », quæ absurda est. — Si cum Bakio legas *ipse*, pro *ipsam*, nihil opus servare *animus*, post voc. *corporis*. — Deinde legendum opinor : « cumque ad corporum sanationem multum ipsa *cura* (scilicet *medicina*) et natura valeat », pro *corpora* cujus compendium errori originem dedit; quod significari videtur inciso : « qui *curari* se passi sint ». — § 6. *Viribus* omittam post *opibus*, cum Tregdero et Baitero. Fortasse excidit gen. *mentis*, qui vix abesse potest.

IV, § 8. Alieno loco mihi positæ videntur sententiæ : « Quonam tandem modo? Quia nomen insaniæ significat mentis ægrotationem et morbum. » Quapropter seu omittam prorsus ea, quasi ad priorem elaborationem pertinentia; seu transferam paulo infra, § 10, post sententiam : omnes insipientes esse non sanos ». Vix enim disjungas argumentum : « sanitatem enim . . . . censebant » ab iis quæ M. dixit : « Non mihi quidem soli . . . . manavit ». Interrogatio autem « Quonam modo? » et responsum : « Quia nomen . . . . morbum », verisimiliora sunt post Stoicorum παράδοξον. — Assentior equidem tum Bentleio omittenti : « id est insanitatem. . . . . insaniam », tum Bakio delenti : « Omnes autem perturbationes . . . . igitur

insaniunt »; quam sententiam fortasse Tullius ipse scripserat, sed postea neglexit, orationis flexu id postulante.

VI, § 12. Suspecta mihi videtur formula « et vero »; multi codices habent « ego vero » : legam : « *enimvero* ita existimo ». — Legendum opinor : « Ne ægrotus sim; sin quid (scil. evenerit, contigerit), sensus adsit ». Conf. Epist. ad Att. XIII, 22 ad fin. Verba *inquit, fuerit, fuerat,* quæ in codicibus leguntur, debentur librariis. Alii alia conjiciunt.

VII, § 14. Facile caream sententia : « Discrepat enim a timendo confidere », licet legatur apud Nonium qui habet : « a timendo fidens ». Grammaticorum scholia Tullii orationem jam infecerant.

VIII, § 16. Turnebus conjecerat : « omnem enim abstinentiam, omnem innocentiam », qui accusativi pendent a verbo *continet;* eumque secuti sunt Davis. et Ernesti; at recentiores editores codd. optimorum lectionem « omnis enim abstinentia, omnis innocentia », improbante Bakio, tacente Baitero, restituerunt. Fortasse Tullius scripserat : « *inest* enim abstinentia, *inest* innocentia ». — § 17. Si cum Madvigio legas : « reliqua igitur est quarta virtus », legendum in clausula : « quæ est ipsa frugalitas » : si cum Bakio malis : « relinquitur quarta virtus », concludendum : « ut sit ipsa frugalitas ». Fortasse hic habemus geminæ enunciationis vestigium; alterutram formam Tullius volebat, librarii eas miscuerunt.

XI, § 24. Incisum « vel rationi non obediens » abundare mihi videtur, utpote glossema hujus quod prius legitur : « vel rationem aspernans »; nisi alterutrum omittas, vitiosum fit voc. *bifariam.* — § 25. Davisio suspectum merito fuit verbum *turbantur*, qui legere volebat : « bonorum opinione *turbant* »; equidem malim *excitantur*, seu *nascuntur*, *oriuntur*. — Ciceronem scripsisse opinor : « ut *ideo* rectum videatur esse angi »; verba « in eo » sententiæ nihil addunt. — Omissio vocis *mali*, ante *ut*, quam proponit Bakius, ambiguam præstat scriptoris mentem. — Scholiastæ manum agnoscere mihi videor in sententia : « id autem est ut is qui doleat, oportere opinetur se dolere ».

XII, § 26. Non sine causa suspicatur Ernestius hanc παρένθεσιν : « est autem ægritudo, ut docebo, in opinione mali recentis »; etenim ab hoc loco aliena est, cujus motum et tenorem præpostere rumpit; præterea iis contradicit quæ § 25 dicta sunt. — Non minus alieno loco posita videtur sententia : « est autem impudens luctus mœrore se conficientis quod imperare non liceat liberis », quæ supervacua enarratio ex superiore emblemate orta est.

XIII, § 28. Hærent critici in hujus sententiæ explanatione : « Epicuro autem placet opinionem mali ægritudinem esse natura ». Dobree, verbis « opinionem mali » deletis, legebat *naturæ;* Bake, nisi violentius esset, reponeret *efficere* pro *esse;* leviorem medicinam adhibeas legendo : « ex

opinione mali ægr. esse *natam* ». Sic censet eruditus quidam lector, ut videre est in margine Schol. Hypomn. Bakii, t. IV. p. 92. Fortasse ultima verbi *placet* syllaba præp. *ex* absorpsit.

XV, § 31. Monente Bakio, seclusit Baiterus nomen *Socrate*, quod equidem deleam. — § 33. Pro *aciem* legam *animum*, addito verbo *facit* post *hebetem;* sicut addidit Baiter., monente Wesenbergio.

XVIII, § 40. F. A. Wolfio abundare censenti hæc verba : « si malo careat », non obsecuti sunt editores recentiores; perperam, opinor. — § 42. Fortasse scripsit Tullius : « qui si virtutes ebullire *solent* (ut Fin. V. 80), nihil aliud *dicunt*. Vix latine dixeris : « ebullire *velle* virtutes ».

XXV, § 61. Cum Bentleio legam : « aut non attingat *omnino* aut perleviter pungat animi dolor », omissa voce *ægritudo*, quam delere volebat Ernesti.

XXVII, § 64. Si *hoc* verbi *declarat* nominativus habetur, ut censet Baiter., vix abesse potest, ante verbum *fieri*, particula *sic* vel *ita*. — § 66. Vidit Baiter. voc. *ægritudinis* ante *causa*, glossema esse; codd. enim omittunt *et*. Bake legere volebat : « cui non ponenda cura et ægritudine serviamus », omisso *causa*.

XXVIII, § 68. Malim legere : « *summam* neque dum tamen sapientiam consecuti »; opponuntur *summam* et *summo ;* raro utitur Tullius adj. *summus* de homine, nisi addat qua causa aut qua arte emineat. — § 71. Omittam *id* post *ergo*, quoniam legitur ante « hi turpe ».

XXIX. Legam cum Bakio : « *idem* quum audivisset », pro vulg. *is*.

XXX, § 73. Voc. *fortuna* ante *converterit* vix abesse potest, deest in codd., legitur apud Baiterum. — Inseruit Davisius *se*, ante verba « ad miseriam invitant », cui obsecutus est Baiterus ; Orellius scripsit : « ipsi ad se mis. invitant ». — Pro *vitiosiores* legendum esse censebat Bakius *iustiores*, vel simile quid, sic enim postulat sententia. Fortasse scripserat Tullius : « *num* sunt vitiosiores . . . . . reprehendunt? »

XXXI, § 76. Buherii et Davisii conjecturam admisit Baiterus : « ut Cyrenaici », pro codd. lectione : « nihil mali », quæ vix intelligitur.

XXXII, § 77. Omittendum vidit Bakius *Cleanthes*, ante « ipse fatebatur ». — *Alcibiades* facile abesse potest ante *adflictaret*. Diutius talibus nævis pepercerunt critici.

XXXIII, § 80. Ii qui legunt conjunctivos *adfingat, adsumat, putet, possit*, debent etiam legere supra : « cui aut malum videri nullum *possit*. » Equidem Bakium sequor, qui indicativos tuetur. — Excidisse putat voc. *mœrore*, inter *maxime* et *excruciari*, eruditus lector, de quo § 28. — Offendit merito quosdam criticos adv. *tamen* ante « ut videremus », quum jam prius legatur ; legam *tantum*, quod bene respondet iis quæ sequuntur.

XXXIV, § 81. Bakius vere indicativum tuetur in formula « quæ dici *solent* ». — § 82. Alterum *tamen*, quod legebatur post « ægritudinem sustulit », suspicionem movit, cui obviam ivit Keilius (Quæst. Tull. Spec. p. XVIII) legendo iterum *sustulit* et addendo *etiam*. — Malim legere : « *etenim* singularum rerum sunt propriæ consolationes », pro *etsi*, quod suspectum est et ambiguum.

LIBER QUARTUS.

I, § 2. Madvig. legendum esse censet « sapientiæ nobilitate » pro « sapientia et nobilitate ; « quem sequar, sed legam *præstantis* pro *præstanti*. — Alieno loco positum videtur incisum « ea quæ magna dicta est » idque transferendum esse opinor seu ante seu post voc. *Græcia*. Verbis « in Italia » facile caream. Conf. V, 10.

II, § 5. Deleam cum Bakio verbum *consequi*, quod scriptoris menti non respondet et facile abesse potest. Fortasse latet adv. *confestim*, quod bene convenit cum *simul ut*; quæ conjectura debetur eidem erudito lectori quem memoravimus ad III, 28.

V, § 10. Sequor Baiterum delentem *faciunt* post *participem;* Wesenberg. legentem « *cum* iræ » pro *tum;* quibus Baiterus obtemperavit.

VI, § 14. Opponuntur non solum sapiens et stulti, sed etiam malum præsens et malum opinatum, itaque legam cum Bentleio : « Præsentis *etiam* mali sapien*ti* adfectio nulla est ; stul*tis* autem ægritudo est ea qua adficiuntur, etc. » Si sapiens unus est, stulti multi sunt, nihil opus servare sing. ut vult Bakius, quum sequatur pluralis. Mutavi prius *autem* in *etiam*.

VII. Geminam enunciationem reperire mihi videor in ea sententia : « Libido, opinio venturi boni, quod sit ex usu iam præsens esse atque adesse »; satis erat dixisse seu : « quod sit ex usu », seu « quod iam præsens esse atque adesse videatur ». Priorem fortasse Tullius prætulit ut quartum « esse videatur » vitaret. Non video quomodo inter se nectuntur vulgatæ lectionis partes. — § 16. Verba « lætans malo alieno » Bentleio suspecta, auctore Tregdero editores demum secluserunt.

VIII, § 19. Excidisse opinor, post verba « consequentis laboris » : « pudorem metum dedecoris » quæ ultima vox omissioni ansam dedit ob homœoteleuton ; nihil opus quærere participium sequenti *concutientem* æquale, ut volebat Wesenberg., quoniam supra genitivo usus est Tullius.

IX, § 21. Lambini correctionem « intimo *animo* » pro vulg. « intimo *odio* », auctore Wesenbergio, admisit merito Baiterus.

XI, § 25. Hic manifestum, ni fallor, geminæ elaborationis vestigium subest. Prius, opinor, scripserat Tullius : « Sic gloriæ cupiditas, mulierositas . . . ceterique similiter morbi ægrotationesque nascuntur. » Deinde orationem ita mutavit : « Similiterque ceteri morbi ut gl. cup., ut mul..., φιλογυνία dicitur » ; omisso verbo *exsistunt* quod facile intelligi potest. Librarii utramque formam commiscuerunt.

XII, § 28. Verba « et lividi », monente Wesenbergio, uncis inclusit Baiterus. Mox edidit *ferantur*, pro *feruntur*, ut volebant Wesenberg. et Bake.

XIII, § 29. Omittendum censebat Ernestius voc. *corporis*, post *valetudinis;* equidem hoc voc. *valetudinis* potius omittam. — Egregiam Bentleii correctionem « *pares* habet *dissensiones* », pro vulg. *partes dissentientes*, post Klotzium, admisit Baiterus, annuente Wesenbergio. — § 30. Turnebi conjecturam legentis : « est autem quædam animi *insanitas* quæ in *sapientem* etiam cadat », pro vulg. lect. *sanitas*, *insipientem*, sequor ; vix enim usurpatur verbum *cadere* de animi sanitate.

XIV, § 31. Codd. Gr R habent : « temptari non possunt, corpora possunt » ; Bentlei omittit *non* et addit *ut* ante *corpora ;* Madvig. omittit verba « non possunt, corpora » ; Kaysero (Annal. Heid. 1853, p. 392) spuria videntur verba : « animi valentes . . . possunt, sed » ; equidem verum vidisse opinor eruditum lectorem, de quo § 5, qui censet excidisse *non*, inter *dissimile* et « quod animi valentes », et servat *non*, post *temptari*. — § 32. Madvig. quem secutus est Baiter., scribit : « *sunt* enim multa, etc. », pro codd. lect. « *non* enim multa » ; ego legam, monente Bentleio, « sunt enim *vitia* ecferata et immania. » — Legam cum Lambino : « *quia hi* non tam cel. » pro vulg. *qui ;* codd. hab. *quia*.

XV, § 34. Non refert de virtute sæpe Tullium dixisse, sed quid de virtute dixerit : itaque verosimile erudito lectori, de quo § 5, ut Bakio, videtur eum scripsisse : « Quando, *quod* et aliis locis de virtute diximus et sæpe dicendum erit ». — § 35. Deesse vix potest particula *ita*, ante « efferetur alacritate » quod respondeat membro : « ut nihil ei constet quod agat ». Dissentiunt critici ; codd. opt. habent *fert*, alii *fertur*, *affertur*, *ea fertur*.

XVII, § 37. Suspicor adj. *fretus* excidisse post voc. *constantia*, et absorptum fuisse ab adj. *quietus*. — Legam cum Bentleio : « *num*quid aut in studiis h. » pro « *nam* quid », seu « *iam* quid », ut volebat Buherius. Omisit Baiterus, operarum vitio, incisum : « aut in studiis humanis ». — § 40. Sermonis motum et tenorem melius servari opinor, sic legendo et distinguendo : « Nata esset ægritudo nova. — Sed si et modice? —

Magna tamen facta esset accessio. » Eodem sensu legit cum Bentleio Bakius : « Sit ea modica ». Codd. habent : « Sed ea modica », quos secutus est Baiterus.

XIX, § 43. Legam cum Bakio, ut volebat Bentleius : « hæc nullam habere vim nisi ira excanduerit fortitudo » ; etenim hic continuatur Peripateticorum argumentatio. — Malim « oratorem *deinde* », quoniam infra habemus « virum *denique* ». — § 44. Membrum « quod somnum capere non posset », post *respondebat* transferendum esse censebat Dœderlein ; id Baiterus merito seclusit.

XX, § 45. Non satis perspicuum sensum offerunt verba « e vita », in quibus latet, ni fallor, participium *citatum*, cujus glossema locum occupavit. Lambinus *dictum* pro *ductum* legit, et, pro « e vita », conjiciebat *scite*.

XXI, § 48. Lucilium scripsisse suspicor seu *cordi*, seu *cardia*, inter vocc. *stomacho* et « ac pulmonibus ».

XXII, § 49. Legam cum Bakio : « quum depugnaturus *est* », pro *esset*.

XXIII, § 51. Omittam *sunt*, post « res humanæ », quod verbum sæpius intelligitur in simili casu.

XXIV, § 54. Displicet Bakio hæc interrogatio : « an tum quoque est utilis ? » Idem sentio.

XXV, § 55. Fortasse evanuit pron. *eum*, post « utile est enim », seu in *enim* mutatum est.

XXVI, § 56. Legendum esse censet Bakius : « *Attamen* æmulari utile est » ; equidem malim : « *An* etiam æmulari utile est, obtrectare, misereri ? » Sic continuatur argumentatio, quæ orationis forma iis quæ sequuntur melius respondet. — Facile abesse possunt verba « angi alieno bono », post « obtrectantis autem », quæ jam paulo supra post *æmulantis* leguntur ; sic *etiam* non abundat, ante « alius habeat ». — Legam cum Bakio « *præ* experientia ». — § 57. Verba « et cupidum », ante « et iracundum », quæ desunt in cod. R, omisit Baiter. — Inseruit idem egregius criticus litteris obliquis incisum « non præmeditatum sit », post verba : « cui nihil quod homini evenire possit ». Verisimilius sententiam compleri posse arbitror inserendo *non* inter *homini* et *evenire* : « cui nihil quod homini non evenire possit ? » intellecto *evenit*. Subinde legam cum Bentleio : « *Iam* quod aiunt », pro *nam*. — Bakius censet legendum « quæ evellend*æ* et extrahend*æ* penitus, non circumcidend*æ* nec amputand*æ* sunt », scil. *radices* ; equidem deleam *quæ* et *sunt* post *amputanda*.

XXVII, § 58. Si quid, post verba « esse liberum », subjunxisset Cicero, nonne potius scripsisset « te velis », quam « te vis » ? — § 59. Vera mihi videtur Bentleii correctio legentis *curatio* post *adhibeatur*, pro vulg. *oratio*. Conf. § 65.

XXVIII, § 60. Merito suspectum fuit eidem excellenti critico voc. *placatione* rarissimum et fere supervacuum vel potius alienum; adverbii enim locum videtur usurpavisse, scil. *plane*, seu *omnino*. Subst. *animi* pendet a s. *perturbatio*. Conjunctivum *abluatur* monet quamdam deesse conjunctionem, itaque Bentleius legere volebat: « Sed *quum* omnis, etc. » Equidem malim: « Sed *si* omnis » seu « Etsi omn. » Sic melius intelligitur oppositio: « Verumtamen hæc est certa . . . sanatio ». In §[i] clausula, si cum Bentleio legas *subtilior*, pro *utilior*, eadem apparebit oppositio quæ in principio verisimilis est.

XXIX, § 62. Hic etiam, ut § 59, legam « adhibenda *curatio* », pro vulg. *oratio*. Conf. § 65.

XXXI, § 65. Codd. habent « lætabilia *dicuntur* », unde Wolf. *ducuntur*; ego legam: *iudicantur*, quod facilius ex codd. lectione efficitur, quippe duæ finales voc. *lætabilia* cum duabus primis verbi *iudicantur* se confuderunt.

XXXV, § 75. Suspectum mihi videtur *etiam*, in sententiæ principio; legam « *etenim* novo quidem amore, etc. » Sic melius oratio nectitur, et præcepto exemplum subjungitur.

XXXVI, § 77. Opinor legendum: « Ira vero, *quamquam* diu perturbat animum »; quoniam opponitur hic iræ diuturnitas amoris inconstantiæ, et tamen utrumque insaniæ nomen habet. — Scholii speciem habent verba: « eorum viscera apponit ».

XXXVII, § 80. Tautologia inest in definitione: « firma animi confisio », nec clarior fit res usu voc. *confisio*, quam usu voc. *fidentia*. Cicero scripserat procul dubio: « firma animi *conditio* ». — Geminæ enunciationis exemplum habemus in duplici conclusione: « Ut igitur metus, sic reliquæ perturbationes sunt in malo », et « Ergo ut constantia scientiæ, sic perturbatio erroris est ». Priorem delere volebat Wesenberg. quæ revera iis quæ præcedunt nihil addit, et ideo a Cicerone abjecta fuit. — Inepte dicuntur animi mala valetudine *constituti*; suspicor legendum *comminuti*. — Bakius, cui obsequutus est Baiterus, minimam pro maxima distinctionem, post verba « ut Socrates dicitur », ponendam esse censet; quæ medicina mihi non omnino satisfacit, et inseram conj. *nam*, ante verba « quum multa, etc. », qua addita, diffusior notionibusque alienis referta periodus rumpetur et facilius etiam labetur, si verbum *est*, quod legitur post *derisus*, transferas ante *sublevatus*.

LIBER QUINTUS.

I, § 2. Bentleius legendum censebat : « Nam cum *aliqua* causa impulerit »; Bakius malebat « nam *quæcunque* causa imp. » Mihi vero Tullius verbis *ea causa* indicare voluisse viam felicitatis quæsitam videtur, et primam colendæ philosophiæ impulsionem opposuisse curæ et operæ quæ huic studio adhibitæ sunt; ergo nihil mutem. — § 3. Suspectum visum est Lambino aliisque criticis participium *congruentes*, non sine causa ; equidem malim : *consentientes*, *conspirantes*.

II, § 6. Orationis vim et motum admodum infringere verbum *audet* videtur, post « se inquinare » ; in scriptoris mente quidem intelligitur, non scribitur. — Latet, opinor, in codd. incerta lectione, formula « primum est », quæ mihi verisimilior videtur, quam « primis est » laudata a Bakio.

III, § 7. Herm. Sauppe primus putidum emblema notavit : « qui a Græcis *σοφοί*, sapientes a nostris et habebantur et nominabantur ».

V, § 13. Cum Davisio et Ernestio transferendas esse censet Bakius voces « beata vita », ante « nec eas », quæ post ea verba leguntur. Inter exempla quæ congessit Wopkens, pauca admodum eamdem lectoribus offerunt perturbationem.

VI, § 15. Vix abesse possunt, seu ante seu post *singulis*, adv. *modo* et part. *etiam* seu *et*, ante *potentibus*, ut volebat Davis. Nonius habet *modo*. — § 16. Legendum *exeditur* post *ægritudine*. Conf. infra : « nullæ ægritudines exedunt », et de Fin. I, 51. Verbum *eliditur* alienam notionem exprimit. Apud Nonium (in voce elidere) pariter mutatio effecta fuit, seu jam Tullii orationem infecerat.

VII, § 19. Merito suspectæ sunt Baitero voces « in philosophia », quoniam legitur mox *philosophiæ* ; alii codd. habent « *a* phil. » alii « *in* phil. » quod emblematis indicium est. — § 20. Voc. *præmiis*, ante « donisque fortunæ », Lambino Bentleioque displicebat, quorum alter *muneribus*, alter « *corporis bonis et* fortunæ » legere volebat; equidem malim *præsidiis* », quod voc. ipse Tullius paulo supra videtur indicare § 19. Vox *præmium* ter usurpatur in paucis lineis.

IX, § 24. In omnibus codicibus legitur, post voc. *rotam* : « id est genus quoddam tormenti apud Græcos » ; in uno cod. R. antiquo atramento linea subducta est ; quod signum est interpolationis. Jam dudum ab editoribus omissa est hæc sententia ; Klotzius eam uncis inclusit. — § 27. Addam cum Lambino, cui, monente Wesenbergio, obsequutus est Baiterus, voc. *eius*, inter *exploratque* et *spe*. Omittam cum Bakio *contineri*.

XI, § 33. Alienum a solita Ciceronis perspicuitate opinor verbum *poneret* sine subjecto, quod non facile intelligi potest; itaque cum Orellio legam *poneretur*.

XII, § 36. Geminam ejusdem sententiæ enunciationem hic habemus: Platonis verba (Menex. p. 248 A.) *καὶ μὴ ἐν ἄλλοις ἀνθρώποις αἰωρεῖται ἐξ ὧν ἢ εὖ ἢ κακῶς πραξάντων πλανᾶσθαι ἠνάγκασται καὶ τἀκείνου*, Tullius sic prius verterat : « nec suspensa aliorum aut bono casu aut contrario » quod respondebat verbis « apta sunt » ; deinde maluit sic vertere : « nec pendere ex alterius eventis et errare coguntur », quod græcam orationem pressius exprimit ; sed alterutra forma omittenda est, vix enim putes Tullium dixisse « pendere coguntur », postquam dixerat : « suspensa sunt »; « ex alterius eventis », post « aliorum aut bono casu aut contrario ».

XIII, § 39. Orellius malebat *cæcetur* quam *cæcaretur*, etenim imperfecti non locus est; equidem legendum opinor *obscuretur*, quia verbum *cæcare* plenam caliginem indicat, quod ultra Ciceronis mentem videtur.

XIV, § 40. Aptiori loco legeretur Laconis dicti mentio paulo infra post verba : « si id possit amitti », quam post « istorum est »; sic orationis cursus non rumperetur, et exemplum ad quam refertur sententiam sequeretur. Legam subinde : « *Iam* qui timebit », pro *Nam*. — § 41. Voc. *inexpugnabilem* cum aliis adjectivis non convenit, nec gradatio sensus observatur. Melius in cod. Med. legitur : « inexpugnabilem semper atque invictum », quæ lectio Davisio non displicebat. — Si Tullius non scripsit : « parum metuit », nec *parva* nec *pauca* satisfaciunt; malim *paullum* seu *paululum*, quod respondet adv. *leviter*. — § 42. Nisi legas : « An *si* Lacedæmonii », claudicat oratio; abesse potest facilius *an*, quod fortasse particulam *si* absorpsit. — Concinnior fieret oratio, ni fallor, si legeretur : « *quem* temperantia *tum* a libidine avocet, tum insolenti alacritate gestare non sinat. » Restituam *tum* pro *cum* post *temperantia*, quia non simul sed interdum libido, interdum alacritas homines sollicitat.

XV, § 43. Aptius mihi videtur *itaque* quam *atque*, in principio §[i], quæ conjunctiones nonnumquam permutantur. Idem dici potest § 53. — Legam *miseram*, pro *miseriam*, ut § 49.

XVI, § 48. Post tot doctorum virorum conjecturas meam proponere liceat, legam : « sine metu, sine ægritudine, *inani* sine alacritate (conf. IV, 36), ulla sine libidine nonne beatus? ». Non potest damnari quævis alacritas; *inani* evanuit ob proximarum syllabarum similitudinem.

XVII, § 50. Abesse potest *vitam*, seu post *miseram*, seu post *beatam*. — § 51. Merito delevit Baiter. *lancem*, inter vv. *illam* et *putet;* codd. habent : « illam boni lancem. » — H. l. quoque legendum censeo, ut Fin. V. § 92, *depromat*, pro *deprimat*. Conf. Acad. pr. II, XII, 38.

XIX, § 55. Baiter., monente Bakio, voc. *consulis* seclusit.

XXI, § 61. Idem, auctore Seyfferto, seclusit voc. *opes*, post « copias eius »; quia membrorum concinnitatem turbabat. — Voc. *vita* h. l. mihi alienum videtur, et legam : « te hæc ita delectant », et cum Ernestio, secundum optimos codd. *eadem*, pro *eam*.

XXII, § 63. Malim cum Bentleio legere : « et a puero artibus ingenuis erudito », quod auribus magis placet. — Accusativi qui subinde leguntur, *perstudiosum*, *poetam tragicum*, Bakio aliisque suspecti merito videntur, nec facile sententiam conficias, neque ἀνακόλουθον supponas. Errorem librariis tribuam potius quam ipsi scriptori, et legam cum Bentleio : « Musicorum vero perstudioso, poetæ etiam tragico »; sed servem accusativum in formula « quam bonum », ubi facile est intelligere « se esse censebat », quod incisum ceteris accusativis originem dare potuit.

XXIII, § 65. Suspectum est Bakio voc. *multi*, post « immissi cum falcibus »; conjicit *simul*; equidem malim *famuli*, cujus voc. initium ob præcedens *falcibus* omissum fuit.

XXIV, § 68. Optimi codd. addunt, post incisum « fugiendarumve rerum », verba *ne vivendi*, quæ plerosque editores fugerunt vel neglecta sunt. Wesenberg., cui obsecutus est Baiter., inde effecit : « et in ratione vivendi »; O. Heine : « arteque bene vivendi »; utrumque probabile. — § 69. Si post « ut quum », legas *quis*, ante verba « totius mundi..... perspexerit », reddetur orationi justa forma, nec opus erit excogitare ἀνακόλουθον quod lectoris mentem torquet. Bentlei delebat *ut*, improbante Bakio, qui abruptam sententiam, § 70, « Hæc tractanti, etc. » instaurari et absolvi censet.

XXV, § 70. Alienum scriptoris menti verbum *imitandi*, post *æternitatis*, mihi videtur; vix enim putem Ciceronem in animo habuisse æternitatem esse imitandam; nihil opus verbum addere. — § 72. Prava lectio *cernat*, pro qua legendum esse opinor *servet* seu *teneat*, ansam dedit interpolationi verbi *contineri* ante v. *prudentia*, quod delendum viderant Lambinus et Orellius. — Suspectum videtur adj. *doctis*; nonnulli codd. addunt *a*; hac in re tamen nullæ sunt doctorum partes; legi possit *nobis*.

XXVI, § 74. Præeunte Seyfferto, seclusit Baiterus verba « præcepta fortitudinis. »

XXVII, § 76. Fortasse hic geminæ ejusdem sententiæ enunciationes a librariis permixtæ sunt : suspicor Tullium prius scripsisse : « ut ea qui adeptus sit, eum non beatum modo sed beatissimum etiam dixerim », et deinde sic orationem mutavisse : « quæ si quis adeptus sit, cur eum beatum modo et non beatissimum dixerim ? » — Malim legere : « dolorem *ergo* sapiens extimescet », pro *vero*; ut infra : « huic igitur succumbet virtus. » Jam antea de dolore actum est, non hic novum argumentum orditur. — § 78. Verba « in India », quæ abundant, locum tenere part. *deinde* videntur, quæ respondet adv. *primum*. Omittam *vero*, quod ex mutatione ortum

est et supervacuum fit. — Legam cum Lambino et Bakio : « *pravis* erroribus », pro *pravitatis*. — Mutandum opinor verbum *fecerint* in *læserint*; etenim *violare* et *lædere* Tullius jungere solet, et si serves *fecerint*, pron. *quorum* sensum latiorem quam postulat mens scriptoris obtinebit. — § 79. Aptiorem locum habebit sententia : « Omitto quæ perferant quæque patiantur ambitiosi honoris causa, laudis studiosi gloriæ gratia, amore incensi cupiditatis : plena vita exemplorum est, » si eam ante verba : « de hominibus loquor », transferas.

XXVIII, § 80. Negationem *nec*, ante *iustitiam*, Ciceroni tribuendam esse non arbitror; sic posita auditoris mentem non satis movet; ea deleta, interrogandi signum post voc. *carceris* ponam, et si quis velit, etiam post *consistet*.

XXX, § 85. Haud displicet Victorii correctio : « et Peripateticis, quorum quidem explicata causa est ». Sic justior fit oratio. — Opinor legendum : « reliquis *idem* facere licet quod fere faciunt »; etenim quoniam loquitur Tullius de eloquentia qua virtutis gravitas extollitur, intelligit Platonicos et Peripateticos. — Denique legam : « *Non autem* licet iis, etc. » quia, quum supra dixerit licere virtutis gravitatem exaggerare, istorum philosophorum inconstantiam adversativa non causali conjunctione exprimere debuit; non constanter autem sentiunt ii qui gloriam expetendam esse profitentur et negant beatos esse qui illam adepti sint; quod vitium enunciationis manifestius apparet quum legitur : « reliquis *quidem* licet, etc. »

XXXI, § 87. Insignem Bentleii correctionem : « *minis aut* blandimentis corrupta », pro codd. lect. « *minimis* bl. corr. », edidit Baiterus sine lacunæ signo; etsi *minis corrumpi* non dicatur. Fortasse Tullius scripserat « minis *victa* aut bl. corr. » Zeugma tamen facile admitti potest. — Legendum vidit Wesenberg. : « longe retro », omissa part. *et*. — Codices habent « illum Carneadeum », unde legebatur in libris : « illum Carneadem », Bakius monuit legendum : « illud Carneadeum ». — § 88. Baiterus, præeunte Fischero, cod. Vindob. sequutus est qui habet : « *aut* dolorem », pro « *an* dolorem ». Disjunctioni hic locus non est ; interpres gallicus Bouhier bene vertit : « la mort *et* la douleur ».

XXXIII, § 94. Geminæ elaborationis exemplum hic adesse suspicor, quoniam discrepant sententiæ, et Tullium inter alterutram clausulam hæsisse, ita ut, si legas : « quarum genera non contemnunt », omittere oporteat : « quarum quærunt tamen copiam », et contra. Operæ pretium est legere præclaram Kuehneri notam apud Baiterum. — Abesse possunt verba : « de quibus multa ab illis habetur oratio », quoniam paulo supra legitur : « multa ab Epicureis disputantur ». — Verisimilis mihi videtur correctio quæ amico Ursini tribuitur, legenti : « prodesse nonnumquam », pro lect. vulg. *numquam*, quæ cum iis quæ prius leguntur certe non con-

venit. — § 96. Abundare mihi videtur voc. *voluptatum*, post *speratarum;* hujus voc. additio præpositionem *cum*, a Madvigio restitutam, fortasse sustulit.

XXXIV, § 98. Interpolata videntur Bakio verba : « his enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur » ; spartanam enimvero breviloquentiam non decent. — Si legas *quicquid* ante « obiectum est » omittendum *quod,* ante *modo;* si legas *quid,* omittendum *modo.* — § 99. Censeo esse legendum : « more *edoctæ* », pro vulg. *doctæ.*

XXXV, § 101. Supervacua et a quodam lectore in margine scripta mihi videtur sententia : « Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat quam fruebatur » ; omnino scholii speciem habet ex lib. de Fin. II, 106 desumpti. — Omittam cum Ernestio verba « non in regis ». — Aristotelis dictum : « Quid aliud in bovis, non in regis sepulcro inscriberes? », Bakio interpolatum videtur. — § 102. Corrupta esse hæc verba « signis, credo, tabulis, ludis » Bentleius demonstravit, quæ jam cuidam docto apud Lambinum suspecta videbantur, et legendum esse censuit : « tabulis pictis » ; sed sic unde pendeant ablativi non cernitur ; alii alia conjiciunt : Bake suspicatur latere verbum *indiges;* Seyffert legit : « tabulis *studes* » ; O. Heine : « tabulis *stupes* » ; ego malim : « tabulis *gaudes* » ; *studere* enim de iis quæ ad mentem spectant potius dicitur, *gaudere* autem synonymum verbi *delectari* cum iis quæ subinde leguntur : « Si quis est qui his delectetur », bene convenit. — Omisit Baiterus, typographi, opinor, negligentia, verba « quam paucis », post « natura admonet » ; tacet in notis.

XXXVI, § 103. Voc. *plus*, quod ante *commendatio* legitur, transferam inter *molestiæ* et *habeat;* facile librarius errare potuit inserendo hoc voc. in superiore versu.

XXXVII, § 107. Lacunam, post voc. *ignominia*, genuit sine dubio homœoteleuton, quam, post multorum tentamina, leviter mutatis verbis sic explendam esse censeo : « At *inest sane ignominia. — Poterit* ignominia adficere sapientem? » — § 108. Malim legere : « ad voluptatem ea referunt quæ *aguntur* in vita », pro « quæ *sequuntur* », quod hoc loco alienum videtur.

XXXVIII, § 111. Suspicor Ciceronem scripsisse : « ad investigandum oculos advocat » ; *adhibet*, glossema verbi *advocat,* hujus locum postquam occupavit, originem dedit voc. *advocatos*, quod non facile tuearis. — § 112. Formula rarior : « quorum res esset » fortasse locum usurpavit formulæ solitæ « quorum interesset ». Voc. *res* in textum irrepsit quasi explanatio voc. *sua.* — Si cum Heindorfio (Hor. Sat. I, 3, 26) legas : « *videbat* in litteris », quod Bentleius in *vivebat* mutandum esse censuit, addendum opinor, ante *videbat*, adj. *cæcus*, quod Pighius et Buherius, quibus obsequutus est Schuetzius, inserebant post *prætorius.* Cæterum, quoniam illa

ἀντίθεσις jam legitur in sententia priori, fortasse satius est seu sequi Bentleium, seu legere « studebat litteris ».

XXXIX, § 113. Quoniam nulla conditio seu expressa seu intellecta usum verbi *esset* tuetur in formula : « quod credibile vix *esset* », merito Bakius censet esse legendum *est*. — Vix abesse potest verbum, quale *frui* seu *uti*, in sententia : « si *(frui* vel *uti)* liceat quod quibusdam Græcis quotidie ». — § 114. Suspicor Ciceronem scripsisse : « *ei si* sine varietate colorum vivere beate, sine notione rerum non licebat ». Codd. optimi G R habent *et si*. Prius *licebat*, post *colorum*, mihi videtur abundare. — Abesse potest *esset*, post verba « quod ante pedes ». Codd. dissentiunt de ejus loco et forma; G R habent *essent*.

XL, § 116. Delevit, auctore Davisio, Baiterus voc. *Epicurei*, ante *nostri*. — Legam cum Manutio, probante Wesenbergio : « omnesque item nos », pro codd. lect. « omnesque *id nos* ». — § 117. Bentleius, Davisius, Wolfius, Schuetzius omittendum censent incisum « quoniam mors ibidem est », quod revera scholii speciem habet. Orellius adv. *ibidem* uncis inclusit. Bakius autem voc. *mors* delendum esse putat, quod melius sane; at Bentleium sequor, cujus correctio augustiorem orationem præstat : « portus enim præsto est, æternum nihil sentiendi receptaculum ».

XLI, § 121. Restituam in textu voc. *philosophiæ*, pro *philosophas*, quod rarum et poeticum vocabulum sæpius apud Ciceronem legeretur, si illi civitatem dedisset.

IN M. TULLII CICERONIS

LIBROS PHILOSOPHICOS

CURÆ CRITICÆ,

AD NOVISSIMAM J. G. BAITERI ET CAR. HALMII

QUÆ TURICI, ANNO MDCCCLXI, IN LUCEM PRODIIT

EDITIONEM ACCOMMODATÆ.

SCRIPSIT SUOQUE SUMPTU EDIDIT

L. VAUCHER

PROFESSOR GENEVENSIS.

FASCICULUS II

Libros de Deorum natura, de Divinatione, de Fato, de Senectute, de Amicitia, de Officiis, de Re publica, de Legibus, Paradoxa Stoicorum complectens.

LAUSANNÆ

TYPIS GEORGII BRIDEL

MDCCCLXV

PRÆMONITUM.

In recognoscendis Tullii scriptis de quibus in hoc secundo fasciculo agitur, novis quibusdam subsidiis usus sum, quæ anno præterito et præsenti in lucem prodierunt, inter quæ editionem Lipsiensem operum philosophorum et politicorum M. Tullii Ciceronis quæ clarissimo J. G. BAITERO *debetur hic memoro, cujus alterum volumen mihi in tempore præsto fuit; ceterorum vero subsidiorum in* Curis criticis *suo loco mentio facta est.*

CORRIGENDA IN UTROQUE FASCICULO:

Pag. 7, l. 39, *scribe* XXXVIII.

— 9, l. 8, *adde* XLVII, *ante* § 143.

— — l. 13, *scribe* cujus . . . . vox *pro* quod.... vocis.

— 10, l. 38, » iucunditate *pro* iucundidate.

— 12, l. 14–15, *scribe* sensus *pro* sensum.

— 14, l. 22, *scribe* absorpsit *pro* absorbsit.

— 19, l. 16, » argumentationis *pro* argumentationi.

— 23, l. 9–10, » pertimuit *pro* pertinuit.

— 26, l. 39, » magna *pro* magnas.

— 32, l. 2–4, *omitte quæ leguntur inter* assentior *et* § 109.

— 36, l. 37, *scribe* prudentia *pro* sententia.

— 53, l. 29, » omisso *pro* omissum.

— — l. 30, » scripto *pro* scriptum.

— 67, l. 5, » νᾶφε *pro* νάφε

— — l. 31, *adde* . possem *post* dedissem.

— 68, l. ult. » 9, *post* delenti.

— 71, l. 17, *scribe* Bakium *pro* Baiterum.

— 76, l. 28, » gestire *pro* gestare.

— 83, l. 32–34, *omitte quæ leguntur post verba* cingit cælum.

— 86, l. 35, *adde* sequar *ante* Kayserum.

— — l. 36, *omitte* in ed. Lips.

— 87, l. ult. *adde* distinctione *ante* varietate.

— 91, l. 11, *scribe* sequuntur *pro* sequntur.

— 92, l. 28, » § 136 *pro* 137.

— — l. 32, *adde* § 137 *ante* Legam.

— 94, l. 18, *scribe* coniveres *pro* conivere.

— 97, l. 20, » præstaret *pro* præstare.

— 107, l. 11, *omitte*, § 37.

— 129, l. 9, *transpone verba* « pro vulg. putant » *post verba* « ut scribit Baiter

— 135, l. 4, *scribe* putabantur *pro* putabantur.

— 136, l. 33, *adde* IV *ante* 15.

— 140, l. 22, *scribe* Delendum *pro* De–lendum.

— 145, l. 3 et 20, *scribe* *pro* .

— 154, l. 29, *scribe* cod. *pro* codd.

— 164, l. 36, » Wyttenbachii *pro* Wyttenbacchii.

IN M. T. CICERONIS

LIBROS PHILOSOPHICOS

CURÆ CRITICÆ



DE DEORUM NATURA LIBER PRIMUS

I, § 1. Si legas : « Cum multæ res...... explicatæ *sint* », ut habent opt.codd., nihil opus servare particulam *tum* ante *perdifficilis*. Confer De Off. I, § 4, ubi legitur : « Nam cum multa sint..... latissime patere videntur. » Fortasse legendum : *sane* perdifficilis. » — Heidtmann. (ut refert Baiterus in Suppl. adnot. p. 480) delere velit totum membrum : « quæ et ad agnitionem animi pulcherrima est et ad moderandam religionem necessaria ; » cui libenter assentior. — Baiterus in edit. Lips. inseruit *cum* inter *qua* et *tam*, collato § 5, atque omisit « ut id » et legit *debent* pro *debeat*. Equidem omittam *sunt* post *variæ* et legam *debent*. — Monente Astio, omisit Baiterus voc. *principium*, inter *causam* et *philosophiæ ;* etenim copula deest in opt. codd., unde suspicio glossematis confirmatur. Postea in editione Lipsiensi edidit « principium philosophiæ », omisso voc. *causam*. — § 2. Merito censet Bakius (Suppl. adn. p. 480 ex Mnemos. II, p. 415) delendum esse verb. *putaverunt*, quod non convenit cum « dubitare se Protagoras », neque cum aperta professione Diagoræ et Theodori.

II, § 3. Auctore Wyttenbachio, verba : « quibus sublatis perturbatio vitæ sequitur et magna confusio » transfert Heidtmann. l. l. paulo infra, post *tollatur*, § 4. Equidem suspicor Tullium, his prius scriptis, sententiam deinde

ampliorem maluisse et priorem seposuisse; itaque ista verba prorsus omittam: sin minus tautologiæ vitio periodus laborat; omnia enim complectitur sententia: « Atque haud scio..... iustitia tollatur. » — § 4. Totum locum: « Neque vero id solum...... fabricati pæne videantur » delendum censet Heidtmann. teste Baitero in Suppl. adnot.), cujus opinionis non satis idoneas causas reperio.

V, § 10. Verba: « ipse autem erat Pythagoras » spuria censuit Walkerus; vere, ut mihi quidem videtur; nam hæc enarratio scholiastæ manum redolet, et minime in textu necessaria est, quoniam agitur de Pythagoreis.— § 11. Legendum opinor: « *iis* quatuor Acad. libris satis resp. vid. » *iis* refertur ad *qui*, *his* ad *libris*, quod hoc loco alienum. — Non deleam cum Heidtmano l. l. membrum: « Nec vero desertarum relictarumque rerum patrocinium suscepimus », quod respondet iis quæ leguntur § 6, et parat ea quæ sequuntur: « non enim hom. interitu sententiæ occidunt. » — Omittam cum Bakio l. l. voc. *philosophos* post « contra omnes ». — § 12. Heindorfio obsequutus Baiterus seclusit sententiam: « Ex quo exstitit illud..... vita regeretur », quæ non modo orationis seriem rumpit, sed etiam obscure et prave enunciatur.

VI, § 13. Locum: « Quo quidem loco convocandi omnes videntur qui, quæ sit earum vera, iudicent » delendum censet Heidtmannus l. l. Ita fortasse Cicero prius nude scripserat, at deinceps eam sententiam ornavit et poetico apparatu instruxit; utramque formam, nullo discrimine adhibito, librarii servaverunt. — § 14. Bakius l. l. distinctionem ponere malit inter *profecto* et *eos ipsos*; mihi vero videtur adv. *profecto* pertinere potius ad secundam sententiam, sed aptiorem locum obtineret inter *addubitare* et *coget*; conf. § 5. Nonnumquam verbum inter versus scriptum in superiore insertum est, cum ejus locus sit in versu inferiore.

VII, § 16. Omittam cum Bakio l. l. *philosophiæ* post *nullius*, etenim intelligitur *disciplinæ*. — § 17. Alterum *videtur* abesse potest post « inquit Cotta ».

VIII, § 20. Scribam φυσιολογίαν, ut supra et infra πρόνοια, ubi codd. habent *pronoea*.

IX, § 21. Alienum locum occupare sententiam: « quod ne in cogitationem quidem cadit, ut fuerit tempus aliquod, nullum cum tempus esset » manifestum est, quoniam scindit ea quæ de spatio dicuntur, et negationis necessitatem ante *potest* affert, quæ negatio contra scriptoris mentem additur. Itaque seu omittenda est ea sententia, ut velit Heidtmann. l. l., seu, ut volebant Wyttenbachius et Moserus, quibus equidem assentior, paulo supra, post « effici non potuisse », transferenda est. — § 22. Schneiderum sequor et Heindorfium legentes: « tanquam *ædes* ornare »; claudicat comparatio ædilis et dei, et deinde agitur de habitatione dei. — § 23. Matthiæ (Verm. Schrift. p. 52-54) legere volebat: « ut ea *quum* sapientes commodorum compensatione leniant »; equidem malim: ut ea, *si* sapientes

[commodorum] compensatione leniant, stulti nec.... possint nec f. pr. »; vox *commodorum* abesse potest et videtur glossema.

X. Suspicor Ciceronem scripsisse : « nullo modo *videntur* animi naturam intell*igere*, *quasi in ali*quam figuram cadere posset. Conf. Milon. § 31 « quasinostram ipsam mentem videre et sentire possimus. » — § 24. Vere Kayser. scribendum censet *admiror* pro *admirabor*, quem non sequutus est Baiter. in edit. Lips.— Verbum *significetur* hic videtur ineptum ; Lachmann. conjicit « sic incitetur », ita Baiterus legit in edit. Lips. Schœmann. « sic afficiatur »; equidem malim « sollicitetur », quod sæpius apud Lucretium legitur eodem vel simili sensu. — Incisum : « si mundus est deus » scholii speciem habet, et facile abesse potest ob ea quæ paulo supra leguntur. — § 25. Censeo legendum, ut scriptor sibi constet : « Si *res* possunt esse sine sensu [et mente] », pro voce *dii*, quæ ex posteriori sententia huc fluxit ; conf. § 27. Sequor autem Lambinum sententiam sic supplentem, post voc. *sensu* : « cur mentem aquæ, cur aquam menti adiunxit? » Verborum translatio quam proposuit Madvigius qui, post « nativos esse deos », legere velit : « Si di possunt esse sine sensu et mente », fieri non potest, quia sic deesset prior conditio, cui respondet altera : « si ipsa mens constare potest vacans corpore »; nec parenthesis bene convenit in Anaximandri opinionis enunciatione.

XI, § 27. *Nam* ante *Pythagoras* videtur mutandum seu in *Iam* seu in *Item*. — Inseram cum Bakio l. l. voc. *deum*, inter *censuit* et *animum*. — Alienum mihi videtur hoc loco adj. *intentum*, nec convenit cum part. *commeantem*; legam seu *infixum* seu *infusum*, ut § 28, seu *diffusum*, ut apud Lactant. (D. Inst. I, 5) legitur : « animus per universas mundi partes omnemque naturam commeans atque diffusus. » — § 28. Non magis parcam particulæ *nam* ante *Parmenides*, quia non bene respondet particulæ *tum* quæ legitur ante *Xenophanes*; malim *iam*. — *Quidem* abundat ante *commenticium*; ortum videtur ex *quiddam* male posito.—Vix intelliguntur verba codicum : « continentem ardorem lucis orbem qui cingit cælum », neque satisfacit Davisii correctio : « continente ardore lucis orbem, qui cingat cælum », quam admisit Baiterus. Suspicor legendum esse : « continet enim ardore lucis orbem qui cingit cælum » et delendum esse incisum : « quem appellat deum », quoniam dei notio inest in voce *divinam*, et verbum *appellat* legitur in superiore versu.

XII, § 29. Adverbium *omnino* videtur abundare, ante *ita tollit*, tum ob istam particulam, tum ob *omnino* quod supra legitur. — § 30. Baiterus seclusit incisum : « ut Græci dicunt ἀσώματον » jam suspectum Walkero et Heindorfio.

XIII, § 33. *Non*, ante *dissentiens*, deest in codicibus ; additum fuit a Manutio cui obsequuti sunt plerique editores; aliter, arbitror, Tullius indicavisset Aristotelis cum Platone consensum qui non plenus erat. — *Platone* abesse potest. — § 34. A codicum lectione « et tamen modo mundum » minus

quam editores discedens, sententiam quæ, post « refersit libros » legitur, sic compleam : « *etenim* modo mundum, tum mentem divinam esse putat ». Apud Tullium alibi legitur : « modo unum, tum autem plures ».

XIV, § 36. Omittam *que* post *prohibentem*, ut cod. E., quoniam opponuntur inter se verba *imperantem* et *prohibentem*. — Alterutrum *idem* abundat in sententia : « Idem astris hoc idem tribuit ». — Fortasse Tullius scripserat : « usitatas *pervulgatasque* cognitiones deorum, » pro lect. vulg. *præceptas* seu *perceptas*, quæ videtur obscura.

XV, § 39. Suspicor legendum : « fatalem *summam*, » pro vulg. *umbram;* Conf. Rep. VI, 12. Cod. Eliensis habet *vim*, Heindorfius conj. *veritatem*, Madvigius *normam*.

XVI, § 42. Abundare mihi videntur voces *prœlia, discidia, lamentationes*. — § 43. Verba « id est anteceptam animo rei quamdam informationem » scholii speciem habent, sumpti ex § 100. Hic enim habemus versu superiore vocis πρόληψιν interpretamentum. Legendum saltem *dei* pro *rei*.

XVII, § 44. Typothetarum imprudentia, opinor, verbum *esse* omissum est, ante « igitur deos confitendum est, » in ed. Baiteri et Halmii, p. 382, l. 3, quod correctum fuit in ed. Lips.

XVIII, § 46. Novum reperiisse arbitror geminæ enunciationis vestigium in hac sententia : « Nam a natura habemus omnes omnium gentium speciem nullam aliam nisi humanam deorum », in qua pendet adj. *omnes*, quare Lambinus addere volebat *homines* ante *speciem*. Prius fortasse Tullius scripserat : « Nam a natura habemus omnes omnium gentium deos speciem nullam aliam nisi humanam *induere* ». Deinde sic fere sententiam mutavit : « Nam a natura habemus *apud* omnes gentes speciem nullam aliam *esse* nisi humanam deorum. » Tacet Baiterus.

XIX, § 49. Verba « cum maximis voluptatibus » mihi spuria videntur, et si conferas § 105, vox *intelligentiam* supervacua et glossematis loco addita videbitur. — § 50. Suspecta etiam mihi videtur enarratio « id est æquabilem tributionem », quoniam § 109 ἰσονομίαν appellat Tullius *æquilibritatem*.

XXI, § 58. Monente Madvigio (ad Cic. de Fin. p. 35), sustulit Baiterus mentionem L. Crassi ante verba « familiare illo tuo, » quæ in quibusdam codicibus et in plerisque editionibus legebatur; abest a codd. ACP.

XXIII, § 65. Lacunæ signum posuit Baiterus, auctore Lambino, post verba : « nihil est enim, » quam sic supplebat Lambinus : « nihil enim est minimum; deinde non est inane; nihil enim est quod vacet corpore. » Schœmanni supplementum, ex Acad. Post, I, § 27 sumptum, plenius est, non autem vero similius; « nihil est enim in rerum natura minimum, quod dividi nequeat, deinde, ut sint, moveri per inane non possunt, si quidem id dicis inane, quod vacet corpore. » Equidem legam : « nihil est enim *in mundo* quod vacet corpore. »

XXIV, § 68. Alienam a textu esse censeo sententiam : « Ita enim dicebas,

non corpus esse in deo, sed quasi corpus, nec sanguinem, sed tamquam sanguinem », quia orationis seriem rumpit et infra, § 71, legitur.

XXV, § 70. Codices optimi habent « nisi callide », seu « nisi valde », post « nihil horum ». Schœmann. quem sequitur Baiter, legit : « nimis callide »; equidem malim « viri callidi. » Epicurum vocat Tullius, § 85, hominem minime vafrum.

XXVI, § 74. Legere velim: « cum semel quidem dicta sunt », pro vulg. lect. « cum quidem semel ».

XXVII, § 77. Legam cum Schœmanno: « homine homini pulchrius nihil vide*ba*tur », ob præcedens *erat*, et perf. *accessit*, unde patet rem historice referri. — Geminæ enunciationis vestigium apparet in clausula quam merito Madvigius delendam esse monuit, quoniam non potest necti cum præcedentibus verbis. Suspicor Tullium sic fere prius scripsisse: « Minime igitur dubium eam esse causam, cur deos hominum similes putaremus », et deinceps priorem sententiam: « Quid igitur mirum si. . . . . putaret? » prætulisse, quod librarios fugit.

XXIX, § 81. Ex codicum lectione *apparuisse* sagaciter vidit Klotzius legendum esse: « a parvis enim », cui Madvigius et Baiterus obsequuti sunt; ejusdem confusionis exemplum repertum fuit in Legg. II, § 9.

XXX, § 83. Legitur in codicibus: « laudamus esse Athenis »; editores omittunt *esse*; equidem legam: « audimus esse Athenis », quam correctionem ipse Tullius vindicat verbo *accepimus*; verborum autem *laudare* et *audire* confusio non rara est. — 85. Opinor legendum: « Si igitur nec humano *habitu*, quod docui », quæ vox *habitu* evanuit e codicibus ob primæ litteræ similitudinem; Orellius legit: « humano visu ». — Sequar, cum Schœmanno, cod. Glogav. qui habet « nec *alio* aliquo », pro *tali*.

XXXI, § 86. Equidem puto legendum: « An si quod sit tale »; scholiastæ enarratio « id esse immortale », seu « id esse mortale », adjectivum *tale* absorpsit. — Postulat oratio: « quam paulo ante *tu* », scil. locutus es. — Non aspernanda videtur lectio quorumdam codicum « morte *postposita* ». — § 87. Legam cum Walkero: « in deorum *numero* », pro *natura*. — § 88. Alienum locum obtinere mihi videtur sententia: « Ita fit ut mediterranei mare esse non credant »; pertinere videtur ad § 97, ubi locum idoneum haberet, opinor, post verba « quia numquam vidimus »; illam tamen delere malim, quia scholii speciem habet. Vide not. ad § 97.

XXXII, § 90. Videtur gemina ejusdem sententiæ enunciatio in unam fuisse confusa; etenim satis erat dixisse, seu: « ante igitur humana forma quam homines », seu: « ante igitur quam homines ea erant forma di immortales. » Bakius, l. l. legendum censet post *homines*: « eaque erant forma d. i. » Sic habet edit. Lips. Baiteri.

XXXIII, § 92. Facile caream hoc loco communi: « itaque nulla ars imi-

tari solertiam naturæ potest », quæ sententia sine fructu orationis seriem et motum rumpit.

XXXIV, § 93. Zumptius (in Acad. Berolin. Actis anni 1840, p. 105, not. 6) legendum esse monuit (post Thom. Aldobrandinum) *Ephillum*, ex auctoritate Diogenis Laertii, VII, 39, pro vulg. lect. *Syllum*, seu *Silum*, *Sillim* codicum, quam conjecturam editores recentiores neglexerunt. — Haud facile credam latino verbo *scurra* usum fuisse Zenonem; malim igitur cum quodam viro docto legere *utar* pro *utens*. *Scurra* respondet græco *εἴρων*. — § 96. Abundare mihi videtur voc. *natura* post verba: « quæ sola divina ». — Sequutus est C. F. W. Mullerum legentem *deorum*, pro vulg. *deo*, Baiterus in ed. Lips.

XXXV, § 97. Monuit Bakius l. l. hunc locum: « An quicquam tam puerile dici potest, ut eumdem locum diutius urgeam, quam si ea genera beluarum, quæ in rubro mari Indiave gignantur, nulla esse dicamus? Atqui ne curiosissimi quidem homines exquirendo audire tam multa possunt, quæ terra, mari, paludibus, fluminibus existunt; quæ negemus esse, quia numquam vidimus? » transferendum esse ad finem § 88, post « rideri te putares », cui libenter assentior. — § 99. Fortasse Tullius scripsit: « oris quidem *halitus* ad vitæ firmitatem nihil pertinet »; quoniam supra dixit: « quid ipsa facies? » non opus est memorare oris *habitum*.

XXXIX, § 109. Davisii correctio legentis: « atque licentia » pro vulg. « At quam licenter! » mihi videtur admittenda, ut pote quæ Tullianæ orationi magis consentanea. — Alienum locum usurpavisse censeo verba quæ sequuntur: « Fluentium frequenter transitio fit visionum, ut e multis una videatur », quæ paulo supra post partic. *invocatæ* translata, sententiam complerent, sic legendo: « adfluentium *ita* frequenter transitio fit visionum, ut e multis una videatur. » Conf. § 49. — Suspicor Ciceronem scripsisse: « immortalem *aliam*, seu *aliquam* esse oportere », pro vulg. lect. *etiam*; ut scripsit infra: « sint *aliqui* immortales ». — Post verba: « quoniam nascuntur in terra », Bakius l. l. velit: « *sint qui* nascantur in aqua », quod convenit cum « sint quæ conservent ». — § 110. Baiterus seclusit verba: « quæ nulla sunt », quæ facile abesse possunt et in optimis codicibus A C desunt.

XL, § 111. Jamdudum viderat Lambinus addendum esse *non*, inter *quos* et *pudeat*; quod plerique editores vel neglexerunt, vel non intellexerunt; Lambinum sequutus est Baiterus in ed. Tur., Kayserum legentem merito « quos non *pudet* » in ed. Lips. — § 112. Baitero « nectar, ambrosiam » a glossatore addita videntur; itaque ea verba seclusit, cui ut supra libenter assentior. — § 113. Malim: « *multo* impudentiora », non enim de numero agitur sed de gradu.

XLI, § 114. Legitur apud codices, seu « quo modo non *vereatur* iste deus beatus », seu *moveatur*, quæ nullum sensum præstant; Orellius addebat « ne intereat » legendo *vereatur*; Madvigius conjicit *conteratur*; Baiterus in textum

intulit *pereat*, quod mihi quoque legitimum videtur. — § 115. Fortasse legendum *manipulis*, scil. malleolis, seu tædis, pro *manibus*, quæ vox hoc loco inepta videtur; Xerxes enim templa incendi jussit; verbum *everterit* per zeugma adhibetur et pertinet ad *rationibus*. — Verba « ab hominibus », de quorum loco dissentiunt codices, mihi videntur abundare, eaque secludam.

XLII, § 117. Voc. *deorum*, ante « cultu pio », abesse potest.

XLIII, § 121. Monet Bakius l. l. sic legendum esse: « Cum enim optimam et præstantissimam naturam dei *dicit* esse, negat *autem* esse in deo gratiam, tollit id quod maxime proprium est opt. pr. naturæ ». Sic bene nectitur sententia, pro geminis quæ sine idonea junctura sibi succedebant. Kayserus, servata lect. vulg. *dicat* et *idem*, addit particulam *et* inter *gratiam* et *tollit*.

LIBER SECUNDUS.

II, § 6. Lectio plerorumque codicum: « Senatui nuntiavisset », addito *que* post *senatui*, cum cod. Glogav., melius cum scriptoris mente et rerum serie congruere videtur, quam lectio Orelliana: « Senatui nuntiavit et ». Etenim si tacuisset, in carcerem non conjectus esset Vatinius. Orellium Baiterus sequutus est in ed. Tur., codicem Glog. in ed. Lips. — Vere Bakius l. l. monuit legendum esse: « *quem* non aut hebetem. . . . . . . confiteri coegerunt? » pro *quemvis* sine interrogatione. Coll. § 19 init.

III, § 9. Legam cum Schützio: « ad investigandam *uvam* » pro vulg. *suem*. Conf. De Divin. I, § 31.

IV, § 11. Verba « hortos Scipionis » seclusit Baiterus cum Davisio: equidem suspicor in his verbis latere adjectivum quod deesse videtur post *libros*, et legendum esse in versu superiore: « cum legeret libros *haruspicinos*. » Conf. De Divin. I, § 72. — § 12. Geminæ enunciationis vestigium facile reperias in hac sententia: « Ne ægri quidem quia non omnes convalescunt, idcirco ars nulla medicinæ est »; sic fere prius Cicero scripserat: « An ægri quia non omnes convalescunt, idcirco ars nulla medicinæ est? » quod deinceps sic mutavit, ut volebat Ruhnkenius: « Ne ægri quidem omnes convalescunt: num idcirco ars nulla medicinæ est? »

V, § 13. Melius responderet imperf. *caperemus*, quam lect. vulg. *ceperimus*, tum plusquamperf. *orta esset*, tum imperfectis *terreret* et *indicaret*, quæ infra §§ 14 et 15 leguntur. Idem censet Bakius l. l. — § 15. Ciceronem opinor hic usum esse ut supra ablativo; itaque legam cum Davisio: « *in* æquabilitate motus, conversione cæli.... varietate, pulchritudine, ordine, etc. »

In talibus parum valent codices ob signum notum accusativi quod nonnumquam omittitur, seu perperam suppletur. Hic acc. ortus est ex adj. proximo *maximam*.

VI, § 16. Geminæ enunciationis novum vestigium deprehendisse mihi videor in ea sententia : « Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse quam se putet, desipientis arrogantiæ est ». Alterutra forma eligenda est ; seu : « Esse autem hominem..., quam se putet, haud credibile est » ; seu : « Nihil in omni mundo melius esse quam se putare, desipientis arrogantiæ est. » Conf. III, § 26. — § 17. Negationem, ante « possis adduci », malim omittere, interrogandi signo posito post « ædificatam putes ». Negationem vero servare si velis, legendum *quandoquidem*, seu *quoniam*, pro « an vero ».

VII, § 19. Legendum esse censeo : « nisi *eæ* uno, etc. » pro vulg. *ea;* etenim refertur ad voc. *partibus*.

IX, § 24. Enarrationem pronominis *quod* in hac sententia video : « quanta vis insit caloris in omni corpore », quæ sine ullo perspicuitatis detrimento abesse potest. Si velis tamen illam in textu servare, legendum opinor *quamobrem*, pro « quod quidem ».

X, § 26. Auctore Davisio, omisit Baiterus « et fusio », seu *effusio*, post verbum *declarat;* ejusdem auctoritate deleam *adiectis*, quod servavit Baiterus. — § 27. Verissime monuit Ruhnkenius delendam esse sententiam : « ille vero et multo quidem calore admixtus est », quæ prorsus inepta est post ea quæ prius leguntur ; sed subinde legam : « *ille autem* oritur ex respiratione aquarum », pro « *ipse enim* », et deinde : « earum enim vapor quasi quidam aer habendus est » ; mutato loco particulæ *quasi*.

XI, § 30. Tum perspicuitatis causa, tum concinnitatis legam : « *ideoque* deum esse mundum, etc. » pro *eoque*, quod nulli voci nec notioni respondet.

XII, § 32. Melius et planius, opinor, flueret oratio, si, post voces : « quam ulla natura », membrum transferas : « quod si ita est, sapiens sit mundus necesse est », quod argumentationem rumpit inserendo præpostere conclusionem, cui nova succedit quæ non recte e priori fluere videtur, sed ex iis quæ ante leguntur. Conf. § 36. Legam deinde : « ut *autem* nulla pars, etc. » pro ut *enim* ».

XIII, § 36. Bake legendum esse monet (de Legg., pag. 451) : « rerum *omnis* natura », pro *omnium*. — § 37. Fortasse melius legas : « cui nihil *desit* », quam *absit ;* conf. § 38.

XIV. Aptiorem locum obtinere mihi videtur verbum *est*, post *perfectus* quam post *ortus ;* omisso *est* post *sed*. — § 39. Incisum : « nihil mundo perfectius », in quo verborum ordo incertus est, quamdam scholii speciem habet, et prorsus abundat, quoniam id jam dictum est.

XV. Merito Baiterus legit : « neque ulla præterea *est* admixta natura », pro vulg. *sunt*.

XVI, § 43. Ciceronem scripsisse suspicor : « neque *materiam* significat, est enim *aliena* rationis », pro vulgg. *naturam* et *plena;* non modo carent sensu verba quæ vulgo leguntur, sed etiam contra scriptoris mentem orationem infecerunt. Vox *materia* h. l. bene congruit cum iis quæ infra leguntur, quoniam neque pondus neque levitas astris contingit.

XVI, § 44. Malim *circumferretur* pro « circumque ferretur »; nihil opus synonymo.

XVII, § 46. Sententiam : « mundo autem certe nihil est melius, » minime desiderem, quia jam enunciata est; hoc loco autem obest, nedum juvet.

XX, § 51. Voc. *comparationem* hoc loco parum idoneum videtur; itaque legam seu *compositionem*, cum Davisio, ex cod. El., seu *compactionem*, quo utitur Tullius, De Fin. V, § 33. — § 53. Orationis seriei magis consentaneum mihi videtur legere : « huic autem *proximus* inferiorem orbem tenet πυρόεις », quam vulg. *proximum*, seu Walkeri correctio, Ernestio probata, *proxime*.

XXIII, § 60. Cum Davisio et Orellio censeo legendum, seu : « quod erat a deo *donatum,* » ex cod. Glog., cujus prima syllaba a præcedenti *deo* absorberi potuit; seu *datum*, cujus prima littera sæpius cum *N* permutatur. De alia re agitur § 62. — § 61. Lambinum et Orellium sequar legentes : « ab Atilio Calatino erat Spes consecrata, » ut ipse monet Tullius ad libr. II de Legg. § 28. Nostro in loco decipi potuit librarius verbi *vides* proximitate, unde orta est lectio *fides*.

XXIV, § 62. Omittam *Liberum* post « hunc dico ».—Verba prorsus incerta : « quod in Libera servant, in Libero non item » mihi speciem præbent adnotationis in margine scriptæ, quia iis quæ in textu leguntur contradicitur. — § 63. Quoniam optimi codices habent *opplevisset*, merito Bakius l. l. legendum esse censet : « Nam *cum* vetus hæc opinio Græciam opplevisset..... a filio Iove, physica ratio non inelegans inclusa est, etc. » Bakium Baiterus secutus est in ed. Lips.

XXV, § 65. Seclusit Baiterus *breviter*, post « sic hoc », in edit. Tur. cum Davisio et Heindorfio; quod restituit in ed. Lips. Equidem legam cum Buherio *graviter*, at deleam vel *sic* vel *hoc*, quæ juncta auri displicent.

XXVI, § 66. Totum hoc colon : « sed Iunonem a iuvando credo nominatam, » merito Baiterus suspicatus est insiticium esse; etenim Jovi eamdem originem jam dedit Tullius, § 64. — Voc. *alteri*, pro quo plerique codices seu *alterum*, seu *altero* habent, mihi suspectum videtur, quoniam fratris titulus Plutoni non tribuitur.

XXVII, § 67. Iani nomen a græco Αἰῶνος ortum esse suspicor, quod apud Dores dicitur Αἰᾶνος. Conf. Longini fragm. p. 292 meæ edit. ubi mensis *Ianuarius* explicatur a Longino Αἰωνοάριος.—Malim : « *Iam* Vestæ nomen » pro *Nam*, ut infra « Iam Apollinis. » Sic scrib. Baiter. in ed. Lips. auctore

Ed. Wœlfflin. — § 69. Omittam *ut* ante *plerumque*, cum Probo, Manutio, Lambino.

XXVIII, § 72. Monente Klotzio seclusit Baiterus : « elegantes ex eligendo ».

XXIX, § 73. Verba : « hesterno die » invito Cicerone servata sunt; debentur apographo scripto priusquam novam libri œconomiam statuerit. Prava superstitione defenduntur. Tacet Baiterus.— Spuria censuit Ursinus, delevit Davisius, seclusit Baiterus verba : « id est providentiam. » — § 74. Plerisque criticis corruptus videtur hic locus, neque hactenus remedium repertum est; itaque lacunæ signum posuit Baiterus post verba : « Nec vero hoc in te unum convenit »; equidem suspicor legendum esse *vitium*, pro vulg. *unum;* scil. VNVM, quod facile pro VITIVM legi potuit. Madvig. sententiam sic supplevit : « Vel potius in te unum non convenit. »

XXX, § 75. Ernestio auctore voc. *pars*, post « quarum prima », Baiterus seclusit. — § 77. Bake (de Legg. p. 330 et s.) omittit *deorum*, inter *natura* et *præpotens*, nam agitur de natura inanima.— Geminam in hoc §° conclusionem habemus, quam gemina, opinor, enunciatio genuit. Prius scripserat Tullius : « nihil est autem præstantius deo; ab eo igitur mundum necesse est regi »; mediam deinde notionem adjungendam esse ratus, scilicet : « nulli igitur est naturæ obediens aut subiectus deus », quoniam nihil est præstantius deo; aliis verbis conclusit : « omnem ergo regit ipse naturam », quod idem valet quam quod prius dixerat : « ab eo igitur mundum necesse est regi », quæ supervacua sententia facta est; unde franco-gallus interpres d'Olivet priorem conclusionem omisit.

XXXII, § 82. Verba : « nulla cohærendi natura » idoneum sensum præstare mihi non videntur; legendum esse opinor : « sola cohærente materia »; conf. Acad. post. § 24. Walkerus conjiciebat *sola*, pro *nulla*.

XXXIII, § 83. Fortasse legendum : « quæ a terra stirpibus *sustinentur* », pro *continentur*. Conf. § 120. Stirpes sustinent, radices continent.

XXXIV, § 87. Dissentiunt codices et editores post verbum *moveatur;* alii habent « aut cum »; alii « ut cum »; alii « et cum »; discrimen inter sententias et incisa melius cernetur si legas : « *seu* cum »; (conf. Grotefend. ausf. Gramm. I, p. 205, § 6.)

XXXVI, § 91. Non aspernanda est codicum lectio *animabili*, licet hæc forma in lexicis non reperiatur.

XXXVII, § 94. Malim legere : « quemadmodum *adseverent* », intelligendo *nescio*, quod in superiore versu legitur. Sententiæ ordo interrogationis speciem non præstat. — Auctore Madvigio Baiterus *faciliora*, post « multo quidem » seclusit; quia videtur additum ab aliquo qui non intellexerat « et multo quidem » pertinere ad « minus operosa »; ego autem vix putem nostrum verbis « et multo quidem » periodum terminavisse; ejus mentem librarii non intellexerunt; legi volebat : « quæ sunt minus et multo quidem minus operosa ».— Suspicor hoc incisum : « qui locus est proximus » a Tul-

lio scriptum fuisse priusquam ea quibus constant §§ 95-101, usque ad caput XL, operi inseruisset; nam adj. *proximus* referri non potest ad ea quæ tot versibus interpositis sequuntur. — § 95. Legam cum Hoffmanno *siderumque*, pro *eorumque*. — Censet Madvigius *quæ* omittendum esse, ante « cum viderent », sublata distinctione post *cursus*; equidem malim legere : « quæ cum *vidissent* », quod responderet similibus formis quæ antea leguntur *potuissent*, *cognovissent*, *aspexissent*, et melius convenit cum diuturna observatione ; sic anacoluthon legitimum est.

XXXVIII, § 97. Walkerus censebat legendum esse *ambitum*, pro *impetum*, quæ vox male convenit cum iis quæ sequntur et idem exprimunt ; fortasse Cicero scripserat *complexum*, quo utitur § 101. — Si legas cum Madvigio « vertique videmus » habebis hexametri clausulam quam vitare Tullius solebat; codices habent *videamus*, quod servandum.

XXXIX, § 98. Legam cum Lambino : « Speluncarum concavas latitudines. »

XLIII, § 111. Merito seclusit Baiterus : « a pluendo; ὕειν enim est pluere » ; equidem hæc verba deleam.

XLV, § 115. Arbitror cum Walkero Ciceronem scripsisse : « sed nihil *magis* », scil. admirabile, pro *majus*, quod non bene convenit cum stabilitatis notione.

XLVI, § 118. Non merito restituit Baiterus *eadem*, pro *eodem*, quod dederat Orellius, auctore Lambino, post *refundunt;* quia legitur statim *indidem*. Parum valent in talibus codices.

XLVIII, § 123. Verba « ex inopinato » melius legerentur, opinor, inter *incidit* et *arripiunt*.— Baiterus *a* addidit inter *admonita* et *squilla;* idem seclusit *pina*, cujus vocabuli locus glossema prodit. Legitimum fuisset id delere. Sic factum est in ed. Lips. — § 124. Ultra modum religiosi videntur editores qui Lambinum et Manutium verba : « a quibus exclusi fotique sunt », post *relinquunt*, transferentes, sequi non ausi sunt ; quod genus correctionis autem et levissimum et vero simillimum est. — Baiter. conjicit *excusi* pro *exclusi* ; conf. § 129.

XLIX, § 125. Merito Baiterus, auctore Kaysero, voces « ab iis » seclusit, inter *aer* et *adversus*, in edit. Lips. — Deest subjectum verbi *succedit;* Lambinus legere volebat « succedit *proxima* ex iis », Schœmannus malit : « *una* ex iis », quod mihi verum videtur. — Kayserus legere velit : « *ipsa* dux », « *ipsa* quoque », pro *ipse*.

L, § 126. Geminæ enunciationis vestigia apparent in variis hujus loci lectionibus ; prius, opinor, scripserat Tullius : « Atque illa mirabilia quæ nuper..... reperta sunt, quod vomitione canes, etc. » Deinde orationi motum addere quum vellet, scripsit : « At quam mirabilia ea quæ nuper... reperta sunt ! vomitione canes, etc. » — Spuria videntur verba : « id est paucis ante sæclis » ; certe legendum, vel in glossemate, *annis* pro *sæclis*.— Scripsisse

Ciceronem suspicor : « auditum est *et* pantheras, etc. », ut non sine junctura oratio procederet.— Bakius vidit verbum *dicunt* abundare.— § 127. Cum eodem legam : « ut contra vim et *impetum* », pro *metum*.

LI. Vix putem Tullium scripsisse : « arborum omniumque *rerum* »; legendum arbitror *eorum*, et subinde, pro *stirpibus*, legam *radicibus*, ne vox *stirpes* duplicem sensum induat in eadem sententia ; vide in fine § ; codd. dant : « aut radicibus aut stirpibus ». Conf. § 120. — § 128. Merito suspectum habuerunt part. *sæptum*, quia non dicitur qua parte animal sæpiatur ; legam *susceptum*. Baiterus tacet.

LIII, § 131. Incisum « et tamen multa dicuntur » spurium esse vidit C. F. W. Müllerus, seclusit Baiterus in ed. Lips. — § 132. Baiterus seclusit *multum*, ante *accedentes ;* Lambinus legere volebat : « tum accedentes, tum recedentes »; Orellius : « mutuo acced. et rec. » Kayserus : « motu lunæ », coll. de Divin. II, § 34.— Lectio : « *artes* denique innumerabiles » incerta videtur ; Moserus conj. *res*, Schœmannus *dotes :* malim « *tot res* » — § 133. Sententiam : « Ita fit credibile..... in eo sint omnia » libenter cuidam scholiastæ tribuam.

LIV, § 134. Verba : « quod adiunctis naribus spiritu augetur » fateor me non intelligere ; fortasse legendum : « quo adiunctis naribus spiritus hauritur », vel aliquid simile. — Placet lectio cod. Vind. *constrictis*, pro vulg. *constructis*.— Omisit Baiterus « ab iis », seu « ab his », quæ leguntur in codd. et edit. et facile abesse possunt, ante *extenuatur*. — § 135. Facile caream pron. *is*, inter *atque* et *agitatione ;* at non plene distinguam post *terminatur*. Idem sentit Kayser. quod monet Baiter. in ed. Lips. — Glossematis speciem habent verba : « quam id quod devoratur ». — § 136. Aliud vocabulum in voce *natura* latere mihi videtur, post *alvi*, quale *caverna*, *camera*. Idem censet Bake (de Legg. p. 577. s.) sed de vocab. tacet.

LV, § 137. Verba *adspirantes*, *respiratu*, de quibus tum codices, tum critici dissentiunt, mihi speciem glossematis habere videntur; itaque legendum esse arbitror : « *qua* tum se contrahunt, tum *rursus* dilatant, etc. »; relativum melius refertur ad mollitudinem quam ad pulmones ; adv. *rursus* absorptum fuit a glossemate. — Legam cum Lambino : « inde aliæ *ad renes* pertinentes ». — § 139. Voc. *finiendos* parum idoneum hoc loco Heindorfio videbatur, qui conj. *fingendos ;* malim *iungendos*.

LVI, § 140. Omittam cum Schœmanno « a dis », post *hominibus*. — Legam cum Davisio : « sunt enim *in* terra », pro vulg. *ex*.

LVII, § 142. Monente Lambino seclusit Baiterus adv. *primum*, inter *quas* et *perlucidas ;* Mosero videtur hoc adv. conjunctionis *quidem* locum usurpavisse, quæ sequenti *autem* respondebat ; equidem malim *propemodum*, cujus compendium errorem genuit. — § 143. Geminam enunciationem in iis formulis quæ idem valent habemus : « somno coniventibus » et « cum oculis ad cernendum non egeremus » ; posteriorem prius cum scripsisset

Tullius, elegantiorem et breviorem quæsivit, sed utramque nobis librarii imposuerunt. Sic voces « ut qui » facilius abesse possunt. — § 144. Incisum « si simplex et directum pateret » deest in nonnullis codd. et abundat, ut mihi quidem videtur.— Clericus legendum esse censebat : « his antris », pro « his naturis » ; equidem, ut supra § 136, malim seu *cavernis*, seu *cameris*.

LVIII, § 145. Vox *oculi*, post « primum enim » et paulo infra ante *iudicant*, debetur, opinor, librariis ; nam intelligere præstat *homines*, quod nomen in prima sententia enunciatum est ; deinde melius convenit in inciso : « multa cernunt subtilius », scil. quam bestiæ ; « decentiam iudicant » homines non oculi. — Omittam *tum*, post *figurarum*, cum Lambino ; hoc seclusit Baiterus. Idem, in ed. Lipsiensi, prius *cognoscunt* circumscripsit. — § 146. Ciceronem scripsisse opinor : « et *certe* tangendi » ; etenim multo magis tactu quam naribus et gustu judicamus. Codices habent *parte* seu *arte*, littera ante *arte* erasa.

LIX, § 147. Malim legere ad vitandam cacophoniam : « his ipsis rebus *is* mihi videtur carere » ; *is* cum ultima vocis *rebus* syllaba potuit confundi. — Merito Lambinum sequutus est Baiterus legentem : « dari *vellem* », pro *velim*, contra codices ; quoniam quod optat Balbus fieri nequit. — Quum agatur de comprehensionis facultate qua revera fruimur, non vero de optabili facultate, mihi legendum videtur : « *sit* in nobis », pro *esset*. — Legam cum Kaysero : « ex *qua* videlicet », pro vulg. *quo*.— Schœmannus verbis : « idque ratione » substituit « et qua ratione » ; ea verba seclusit Baiterus ; equidem legam : « *idonea* ratione concludimus ». — Incisum : « qualis sit » seu geminæ enunciationis, seu scholii speciem habet ; id Schutzius secludendum esse vidit, cui Baiterus in ed. Lips. obtemperavit.

LX. §. 151. Quid sibi vult hoc glossema : « id est manibus », si legatur *operibus*, seu *operis* ut volebat Lambinus? Mihi servanda videtur lectio codd. *opibus*, quæ Ciceronis est ; sed omittam glossema, quoniam legitur versu inferiore « *manu* quæsita ». — § 152. Vix deesse potest subjectum verbi *adfert* ; itaque cum Heindorfio legam : « magnos vero *ea* (scil. materia) usus adfert ». Fortasse *vero* abundat et pronominis locum usurpavit.

LXI, § 153. Cum Heindorfio legam : « par *aut* similis deorum ».

LXII, § 154. Eodem auctore merito seclusit Baiterus verba : « quæque in eo sunt, ea parata ad fructum hominum et inventa sunt ».

LXIII, § 157. Legam cum Orellio aliisque editoribus : « qui illis uti *possunt* », pro *possent* ; ut infra « qui utuntur ». — § 158. Wopkens. delebat *se*, inter *nisi* et « ad hominum commoditates esse generatos » ; equidem legam *eos* pro *se* ; seu : « nisi *esse* ad h. c. *eos* generatos. »

LXIV, § 161. Lacunæ signum ponam inter voces *pastus* et *tum* ; etenim aliquid deest in sententia, cujus membra non sibi respondent.

LXV, § 163. Malim cum Lambino legere : « ex *animi* sententia », pro *hominum*, et cum Marso : *utilitates* pro *utilitate*.

LXVI, § 165. Baiterus addit *his*, ante *consulunt*, in ed. Lips. melius quam in Turic. ubi legitur *iis*. — Idem in ed. Lips. seclusit posterius *diligunt*. — § 167. Sententia : « Nemo igitur vir magnus sine aliquo adflatu divino umquam fuit » aptiori loco legeretur translata post verba : « comites adiungeret », § 166; melius tamen abesset, quoniam idem dictum fuit § 165 ad fin. — Merito Madvigius suspectum habet verbum : « refellendum est »; in mentem illi venit legere : « intelligendum est », quod tamen non satisfacit; conjicit Baiterus : « nec vero id ita premendum est »; possis etiam substituere : « tenendum est », seu « recipiendum est ».

LIBER TERTIUS.

I, § 4. Legendum censet Madvigius « quæ parum cepi, seu percepi », pro vulg. *accepi*. Fortasse Tullius scripsit : « quæ *perperam* accepi. »

III, § 8. Codd. habent « perspicuum in istam partem »; quod incisum Davisius delere volebat, cui Baiterus in ed. Lips. obtemperavit id secludendo; cum Heindorfio autem in ed. Tur. scripserat : « quod in ista partitione ». Equidem legendum esse opinor : « quod *præcipuum* in ista partitione ». — Præclaram et veram Madvigii correctionem admisit Baiterus legentis *coniveam*, pro vulg. *contuear*, et infra § 9 *conivere*, pro lectione codd. *contueres*, quam editores in *contuerere* mutaverant.

IV, § 11. Legam Kaysero monente, « ne animantes quidem esse concederent », pro vulg. *concedant*.

VI, § 14. Perturbatus fuit in hoc § sententiarum ordo, quem sic restituendum esse opinor : « Sequuntur quæ futura sunt. Sæpe autem ne utile quidem est scire quid futurum sit; effugere enim nemo id potest [quod futurum est]; præsertim quum vos idem fato fieri dicatis omnia, quod autem semper ex omni æternitate verum fuerit, id esse fatum. Quid igitur iuvat aut quid adfert ad cavendum scire aliquid futurum, quum id certe futurum sit? Miserum est enim nihil proficientem angi nec habere ne spei quidem extremum et tamen commune solatium ». — § 15. Legam cum Orellio : « se in *hostes* immittentem ». In talibus quid valent codices? — Melius legatur, opinor : « *Non* Fauni vocem equidem umquam audivi », pro *Nam*, quod hoc loco alienum videtur, quia ambiguum.

VII, § 18. Bakius censet legendum esse : « *cum* Chrysippum dicere aiebas » ; equidem malim, cum Heindorfio, legere *quæ*, quod refertur tum ad

illa, tum ad *quæque*. — Verba : « nudius tertius » ad priorem libri formam pertinent, et seu librariorum, seu Tullii ipsius negligentiæ debentur, sicut verba : « hesterno die » libri II, § 73. Invito auctore servantur.

VIII, § 19. Legam cum Madvigio « *et* hoc explicemus », quod simplicius videtur quam lectio codd. *ut*, et magis urbanum quam *at*, seu *sed*. — § 20. Vere, opinor, Orellius legit : « *quod* nihil in rerum natura melius esset », pro cod. lect. *quo*, unde oritur quædam ambiguitas. — § 21. Servem *quod*, ante *difficile*.

IX, § 23. Verba : « erit mundus » absunt ab optimis codicibus, ea Baiterus seclusit ; quidni delevit ? iis equidem non parcam. Absunt ab ed. Lips.

X, § 24. Baiterus, auctore Ernestio, cod. B' sequutus est, qui habet : « sine deo fieri *non* possunt ? » alii omnes dant *nonne*. — Idem contra codices, qui habent *quidem*, Lambino obtemperavit corrigenti *quoque* in inciso : « Ne tertianas quoque febres ». Conf. Tusc. Disp. II, § 1, ubi eadem mutatio tentata est. — § 26. Legam monente Kaysero (in ed. Lips.) *distinguit*, pro vulg. *distinguitur*. — Scholii speciem habent verba : « nihil homine esse melius » ; suspecta Davisio ea Baiterus seclusit.

XI § 28. Baiterus in ed. Lips. merito legit *continerentur*, *cohærent*, *permanent*, quæ lectio, vel invitis codd. admittenda est. Conf. II, § 19.

XII, § 29. Alieno loco inserta videtur sententia : « Cumque omne animal patibilem. . . . et dividuum sit necesse est » ; etenim interrumpit quæ dicuntur de corporis mortalitate ; itaque transferenda est, opinor, post verba « nullum est animal sempiternum » in fine § 31, ubi agitur de animalis mortalitate. Sic non opus legere cum Madvigio in § 29 principio *animal* pro *corpus*, ante *sempiternum*. — Merito Heindorfium secutus est Baiterus legentem : « omne animal *tale* est » pro *mortale*. — Suspicor adv. *ergo*, quod legitur ante *itidem*, transferendum esse infra in locum voc. *eorum*, quod facile omitti potest : « nullum est ergo individuum ». — § 30. Legam cum Kaysero : « si ea ex quibus omnia constant », pro vulg. « si omnia, quæ sunt, e quibus cuncta constant » ; sed omittam incisum « ex quibus omnia constant », quod legitur versu inferiore, inter « sunt illa » et « ut vobis ».

XIII, § 33. Omittam pariter cum Walkero sententiam : « et omne animal sentit », quæ scholii speciem præbet et orationis seriem turbat. — Legam cum Lambino : « adpetit quædam, refugit a quibusdam », et subinde : « quod autem fugit ». — Conclusio : « omne ergo animal intereat necesse est » alieno prorsus loco legitur, et transferenda videtur § 34 post membrum : « nec ullum animal est sine sensu » omissis verbis : « nullum igitur animal æternum est » quæ abundant ob clausulam : « nullum igitur animal est sempiternum », quæ legitur in fin. § 34, C. XIV.

XIV, § 34. Scripsit Baiterus *concreta*, pro *concretum*, in ed. Lips. auct. cod. Glogav. — § 35. Idem merito seclusit verba : « non omnes interpretantur uno modo », et omisit *qui*, ante *quoniam*, quod a codd. opt. et plu-

rimis abest. — § 36. Permutationem factam esse suspicor inter primæ hujus § sententiæ partes, quæ melius intelligentur sic positæ : « Verumtamen videamus exitum : quam ob rem id quidem commune est de calido ». Scilicet « idem putamus de calido ». Nisi fiat permutatio, *verumtamen* abundat. — Pro lectione codd. *extrinsecus*, legendum censuit Buherius *intrinsecus*, quod admisit Baiterus ; at non legitur apud Ciceronem. Moserus et Orellius autem Wyttenbachii conjecturam « et sentiens » acceperunt ; equidem malim seu : « extra interitum », seu : « extra et intus. » — § 37. Abundare mihi videtur voc. *longius*, ante « discedat a cibo. »

XVI, § 42. Baiterus in ed. Lips. addit, ex Jac. Gronovii conjectura, *Coi* inter « inferias adferunt » et *quartus*, ubi codd. habent *cui*.

XVII, § 43. Omisit Baiterus voc. *deæ* post « ne Nymphæ » ; vellem idem fecisset post : « Iovem et Neptunum » de voce *deum*, quam seclusit Klotzius.

XIX, § 50. Verisimillima videtur Kayseri conjectura : « Leo anticum » — Legam cum cod. C. *molestius*, pro vulg. lect. *molestus*.

XXII, § 55. Fortasse legendum : « quartus *autem alio* natus », scil. Jove, pro lect. corrupta codicum *memalio*.

XXIII-XXIV, §§ 60-61. Jam pridem monuit Olivetus hic orationis seriem præpostera sententiarum permutatione turbatam esse ; itaque primam § 61 sententiam : « Num censes igitur subtiliore ratione opus esse ad hæc refellenda », post verba § 60 : « quorsum quidque pertineat », transtulit. Quod monitum posteriores editores perperam vel neglexerunt vel aspernati sunt. Mihi vero locum attentius consideranti ulcus gravius visum est ; illudque geminæ translationis ope sanari posse arbitror : *a*) sententiam : « sed eo iam unde huc digressi sumus, revertamur », in fine § 64, post verba : « quales tu eos esse vis » transferam ; *b*) locum : « *Iam* mentem, fidem, spem. . . . quæ digna certe non sunt deo », in principio ejusdem § 64, post verba : « consecratam videmus », transponam. Quoniam, in §§ 62 et 63, denuo agitur de enodatione nominum, scil. de interpretatione, non revertitur Cotta nuc unde digressus est ; quæ dicuntur, in § 61, de mente, fide, spe, etc., nihil valent ad refellenda hæc commenta quibus contradicit, sed facile connectuntur cum iis quæ de Febri, Orbona, etc., enunciantur, et cum verbis quibus orditur § 64 ; « omnis igitur talis a philosophia pellatur error ». Præterea verbis « sed eo iam unde huc digressi sumus revertamur », quæ transtuli post verba « quales tu eos esse vis », transitus fit ad novam disputationis partem.

XXV, § 64. Mirum in modum dissentiunt codd. Plerique habent « dicali usu ignais » alius B. « dicamus digna dis », alius E. « dicamus dignais de dys », alius « dicali usu loquamur » unde, post varia criticorum tentamina, Madvig. conjiciebat : « dicamus indigna *naturis* immortalibus », contra codices qui habent *digna*, quia *ut* ad *talis* referri censet in priore sententiæ parte ; Baiterus ita scribit in edd. Tur. et Lips., sed malit *animis* pro *naturis*.

Equidem Tullium prius scripsisse suspicor : « Omnis igitur talis a philosophia pellatur error, ut dicamus indigna diis immortalibus », et postea sententiam sic complevisse : « Omnis igitur talis a philosophia *ita* pellatur error, ut, quum de diis immortalibus disputamus, dicamus digna naturis talibus. » — Lacunam notavit Baiterus, auctore Madvigio, post verba « qualis tu eos esse vis », qui supplet « non esse scio ». Heindorfius addebat *quoniam* ante *quales* et « agnoscere non possum » post « eos esse vis ». Equidem malim inserere « non vero tales » inter « discere possim » et *quales*.

XXX, § 74. Legam cum Davisio : « *id* se Q. Sosius », pro codd. lect. *at* seu *ad*. Sic scripsit Baiter. in edit. Lips.

XXXI, § 77. Merito seclusit Madvigius, quem sequutus est Baiterus, verba : « si, qui audierunt, vitiosi essent discessuri, quod perverse philosophorum disputationem interpretarentur », in quibus geminæ enunciationis vestigia potius video, quam adnotationem quæ e margine in textum irrepserit. Sic fere, opinor, Tullius sententiam prius perscripserat : « Ut, si verum esset, quod Aristo Chius dicere solebat, nocere audientibus philosophos — posse enim asotos ex Aristippi, acerbos e Zenonis schola exire — prorsus tacere præstaret philosophis, ne, si qui audierint, vitiosi essent discessuri, quod perverse philosophorum disputationem interpretarentur. » Legam autem cum Lambino, in altera sententiæ forma : « tacere præstare philoso*phos* quam iis qui se audissent nocere, » ad vitandam ambiguitatem.

XXXII, § 79. Malim legere cum cod. C. « *ut* di homines negligant », quod sic intelligam : « ut monstret quod di homines negligunt », quæ sententia facilius suppletur quam ista Orellii enarratio : « cur recte affirmari possit homines a dis negligi ». Etenim non de *causa* agitur nec de *ratione*, sed de *facto*. — § 81. Abesse posset verbum *commemorem*.

XXXIV, § 84. Malim servare *quod*, post « in quibus », quia hic agitur de *causa* quare sic Dionysius loquutus est, non de *casu* quo tali essent inscripto ornata delubra. — Supervacua mihi videntur, et tum auribus, tum elegantiæ contraria verba : « in deos in homines ».

XXXV. Post tot criticorum, tum veterum, tum recentiorum conjecturas, novam mihi liceat proponere ; pro corrupta codicum lectione : « in typanidis rogum inlatus est », suspicor legendum esse : « *cunctis pavidis in* rogum inlatus est » ; etiamsi adj. *pavidus* apud Ciceronem non legatur. Baiterus, secundum codd. in ed. Tur. scripsit « in typanidis rogum », cum corruptelæ signo ; in edit. Lips. circumscripsit voc. *tyrannidis*, quod ei glossema videtur ad v. *potestatem*. Schœmannus conjiciebat : « et impunitus rogo » ; revera vix deesse potest mentio sive deorum negligentiæ, sive hominum stuporis. — § 85. Malim legere *destinata* pro *designata*. — Jam pridem Buherius abundare viderat verba : « in homines » ; illa tuitus est Orellius, at Madvigio auctore seclusit Baiterus. — Nonne legendum : « in eo » ? scil.

mundo, pro « in *ea* », quod refertur ad moderationem divinam; quemadmodum prius « in ea » valet « in domo seu in republica ».

XXXVII, § 89. Bene seclusit Baiterus voc. *amicus*, cum cod. A, post *quidam*.

XXXIX, § 93. Legendum esse opinor: « non *das?* », pro non *eas?* ». Confer. de Fin. V, § 83. Tusc. D. I, § 25.

DE DIVINATIONE LIBER PRIMUS

I, § 2. In codicibus legitur: « quibus notatis, quid *cuique* significaretur, memoriæ prodiderunt »; Hottingerus, quem sequuti sunt Moserus et Orellius, legunt *quoque*, quod non magis satisfacit, quia non liquet ad quod nomen referatur; legere malim: « quid *utique* significaretur », qua particula sæpius in simili casu utitur Tullius. — Verba « longinquitate temporum » videntur abundare; orta sunt fortasse ex priore scriptoris manu.

II, § 4. Merito secutus est Schützium Baiterus in ed. Lips. legentem: « uno furentes, altero somniantes, » pro vulgg. *furente* et *somniante*.

III, § 5. Legendum esse opinor « ratione edocti », unde facilius participium cernas; littera finalis voc. *ratione* absorpsit primam participii *edocti*. — Adjectivum *vera*, ante *divinatio*, Ernestio merito suspectum fuit; non enim de divinationis veritate agitur; quid esse potest divinatio nisi vera sit? — Legam cum Davisio, ex quibusdam codicibus, « Cratippus *quoque* »; Tullius enim hunc philosophum insignire cupit. — § 6. Non consentiunt codices de voce quæ post verba: « sed a Stoicis vel » legitur; alii *princeps*, alii *principes*, alii *principibus* habent; plerique editores, Davisium sequuti, prætulerunt *princeps;* equidem malim *principibus*, quod melius scriptoris menti respondet; quoniam non mirum esset si Panætio principi disciplinæ ab aliis dissentire licuisset; ejus vero dissensio fit magis notabilis, si a principibus Stoicis degeneravit; quod igitur illi facere licuit, aliis concedi potest. — Transferam cum Ernestio *ut* ante *faciamus*; fortasse vox *rebus* abundat, et particulam absorpsit, quæ alieno loco posita fuit.

V, § 9. Si post *vera* distinguas, deesse videbitur accusativus verbi *accepimus;* etenim « de quibus » idem valet h. l. quam « ex quibus ».

VI, §§ 11-12. Orationis seriei magis consentaneum videtur legere *autem*, post « duo sunt »; *enim*, post « quæ est ». — § 12. Legam cum Herelio, « adflatuque divino », quod confirmatur § 34, non vero damnatur § 115.

VII, § 12. Habent codices : « in significatione eventus », quæ verba tum conjecturis tum criticorum explanationibus ansam dederunt ; equidem legam : « in sollicitatione eventus » ; etenim ut animadvertantur signa et notentur, necesse est mentes eventus expectatione moveantur et attendant. Conf. quæ notavimus ad locum N. D. I, § 24. — Davisius malebat *prodentibusque*, pro *prodendisque* ; nonne satius est legere : *probandisque* ? scil. fide dignis.

IX, § 15. Legitur in codd. plerisque : « sed inest in *revis* et ranunculis », quod sic edidit Christius in edit. Tur. cum corruptelæ signo ; feliciter textum genuinum Baiterus restituit scribendo, ex Plin. N. H. XXXII, 50, « in rubetis », in ed. Lips. C. F. W. Müller. autem conjicit *corvis*, pro *revis*. — § 16. Legendum opinor : « *Nec* hoc equidem quæro », quod magis scriptoris menti respondet, qui dixit : « non quæro cur », et mox dicet : « hoc sum contentus ». Christius scribit : « Ne *hic* q. q. ». Codd. habent « nec hoc q. ». — Legitur in codd. « quo quidque fiat ignorem » ; addidit *modo* Orellius ex codd. Oxon. ; lacunæ signum posuit doctiss. Guil. Christius, Baiteri et Halmii socius, addens : « vide ne lateat antiqua scriptura *quor* » ; equidem legam : « *quare* quidque fiat ignorem », quod respondet iis quæ supra leguntur : « cur hæc arbor una ter floreat, etc. » et iis quæ infra : « cur possit nescio » ; « quæ causa sit, nescio ».

XII, § 19. (V. 40.) Pro *numine* quod vix convenit cum adj. *vetusto*, velim legere *columine*, scil. templo, tecto, ædificio.

XIII, § 23. Legendum esse censeo, seu : « Quid ? quærit Carneades cur hæc ita fiant », seu : « Quid quæris, *ut* Carneades, cur hæc, etc. ». Forma *Carneades* vocativi munus non explet. Lambinus legebat *Carneade* ; non vero compellat Carneadem Quintus, quoniam infra legitur : « fingebat Carneades. »

XV, § 28. Ciceronem scripsisse suspicor : « Quod autem scriptum habetis *sonivium* tripudium fieri » ; nam videtur discrimen inter utrumque tripudium memorare velle. Omittam vero incisum « si ex ea quid in solidum ceciderit », quod abundat. Codices dissentiunt ; alii habent *aut tripudium*, alii *hinc trip*. Christ. scripsit : « *avi* tripud. fieri », conjicit : « solistimum avi trip. ».

XVII, § 30. Quasi glossema secludunt, cum Lambino et Lipsio, nonnulli editores membrum : « id est incurvum et leviter a summo inflexum bacillum, quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen invenit » ; in hoc autem Ciceronis manum mihi agnoscere videor, qui lituum ita descripsit, quo prodigium illius post curiæ deflagrationem integritatis melius appareret. Christ. idem videtur censere ; Baiter. autem in ed. Lips. locum seclusit. — § 31. Kayser. legere velit « *in* quarta p. ». — Verba : « in regione distributa » scholii speciem habent. Lambinus legebat « in regiones » ; at si de altera distributione ageretur, addidisset scriptor *rursus* seu *iterum*. — § 32. Verbum *consuluit* spurium videbatur Ernestio ; Hottingerus, probante

Mosero, legendum esse cènset: « id*que* possetne fieri consuluit », quos sequar.

XVIII, § 34. Omittam, cum Schützio et C. F. W. Müllero, *et*, inter *si* et *auctoritatem*. — Participium *ductæ* facile abesse potest sine ullo sensus detrimento. — Hottingero suspectum est verbum *posse*, quod repugnat adverbio *divinitus*. — Eumdem *divinitatem*, pro vulg. *divinationem*, legentem secutus est Baiter. in ed. Lips.

XIX, § 36. Legam : « contemnamus et eos qui e Caucaso, etc. »; lectio « etiam Babylonem *seu* Babylonios » videtur ex glossemate orta esse. Conf. § 93. Secludunt Christ. et Baiter. « Babylonem et » in ed. Lips.— Suspicor legendum esse: « numeris et *notationibus* stellarum cursus persequuntur », pro vulg. *motibus* quod seclusit Christ; numeri tamen huic fini non sufficiunt.

XX, § 38. Seclusit Baiter. in ed. Lips. verba « evanuisse et ». — § 39. Bakius (de Legg. p. 602) legendum esse censet « *mittamus* oracula », quod dat Cod. Ulm. teste Mosero, pro *omittamus*. — § 40. Egregiam Columnæ conjecturam : « Vestalis Ilia » quæ admodum h. l. idonea videtur, immerito editores aspernati sunt; facillime enim librarii *illa* pro *Ilia* scribere potuerunt.

XXI, § 42. Opinor legendum esse : « Rex ipse Priamus somnio *noctis* metu perculsus », pro *mentis*. Lambinus conj. *mentem*, Bothe, *mortis*.

XXIII, § 46. Seclusit Baiterus, in ed. Lips., monente Hottingero, voc. *sol*, post « se convolvens », et colon : « quod genus sapientium et doctorum habebatur in Persis »; nomen *Cyrum*, post *annos*, mihi quoque videtur abundare. — § 47. Vere monuit Frenzelius aut ejiciendam, aut verbis « est profecto quiddam », præponendam esse sententiam: « discedo parumper a somniis ad quæ mox revertar ». Quæ translatio nondum ab editoribus effecta est.

XXIV, § 49. Scripsit, monente Orellio, *tesca* pro *tecta*, Baiter. in ed. Lips.

XXV, § 53. Nomen *Eudemum* cujusdam scholiastæ manu, post « ipsum autem », additum fuit, ubi orationi obest. Id seclusit Baiterus, monente Kaysero, in ed. Lips. — Legam, seu cum Davisio : « *ista* quidem », seu cum Halmio « *illa* quidem », pro vulg. *ita;* sed omittam voc. *prima*, quod si abesset non requireretur. — § 54. Si legas cum Valckenario (ad Herod. VIII, 52) : « detulit *reum* », pro *rem*, quæ lectio mihi valde placet; delendum est membrum : « Areopagitæ comprehendi iubent eum qui a Sophocle erat nominatus », quod Scholiastæ manum nonnihil redolet; additum fuit ob errorem legentium *rem* pro *reum*.

XXVI, § 55. Transferam, ante nomen *præsulem*, ubi vix deesse potest, pronomen *eum*, quod Ernestio merito suspectum videtur ante *senatui*. Nonnumquam enim verba e versu superiore in inferiorem illata sunt. —

Formam inauditam *exim* in Ciceronis textum ex Cod. B. intulit Christius, quod probare nequeo. — § 56. Klotzius addendum esse censebat *non* ante *petenti;* Halmius conjecit : « petere dubitanti », quam conjecturam Christ. admisit; itemque Baiter. in ed. Lips. Mihi quidem satius videtur legere, seu *proferenti* seu *prolatanti.* — Non refert C. Gracchum dixisse *multis* a Tiberio fratre in somnio de futuro leto se monitum fuisse, sed *multos* idem testimonium prodidisse; itaque cum Hottingero legam *multos,* quod mihi levius remedium videtur et veri similius quam addere *illum* ante *dixisse.*

XXVIII, § 59. Legam, cum F. A. Wolfio : « arcte te et graviter », pro vulg. « arte et graviter ». Idem monuit esse legendum « *se* tamen », cui Christius in ed. Tur. et Baiter. in ed. Lips. obtemperaverunt. Verisimilius autem C. F. W. Müller. malit « dormire *te* cœpisse, etc. » et « iussisse *se.* »

XXXI, § 65. Locum grammaticum : « Sagire enim sentire acute est...... futura ante sentire » ab Hottingero in suspicionem merito vocatum Baiterus in ed. Lips. seclusit.

XXXII, § 68. Opinor Tullium scripsisse : « sed *factum* eiusdem generis audivi », potius quam *factam;* quod participium vix jungi potest cum formula « eiusdem generis »; melius autem nomen *factum* opponitur *rei commenticiæ,* quam participium *facta* adj. *commenticia;* cujus oppositionis exempla desiderem. — Verba « cum primo » mihi videntur, quodam errore vel casu, e superiori versu illata esse ante « prudentem hominem », ubi abundant, neque facile intelliguntur; etenim formulam « cum primo » pro *imprimis* hoc unico exemplo confirmari posse non puto. Crebra et diversa sunt in codicibus vocis *primo* sigla, unde confusio facile orta est vocum *prætorio* et *primo.*

XXXIII, § 72. *Subito* nihil aliud esse videtur quam glossema formulæ « ex tempore ». — Pronomen *qui,* post *Calchas,* Ernestius delendum esse monuit, quæ correctio ab editoribus recentioribus perperam neglecta est.

XXXIV, § 75. Opinor legendum esse : « Namque et Lysandri..... statuæ, quæ Delphis stabat, in capite corona subito exstitit »; sin autem legas : « in Lysandri. . . . . statua », omittenda sunt verba « in capite ». Fortasse hic habemus geminæ enunciationis vestigium.— Secludam verba « qui Lacedæmoniorum clarissimus fuerat ». Conf. II, § 68. — Magna confusione laborat sententia quæ subinde legitur usque ad § finem, multis supervacuis vocibus referta, unde patet duas diversas ejusdem sententiæ formas permistas fuisse, quas sic restituam; prius, opinor, Tullius scripserat: « stellæque aureæ, post navalem illam victoriam qua Athenienses conciderunt, qua in pugna Castor et Pollux, cum Lacedæmoniorum classe visi esse dicebantur, eorum insignia deorum, stellæ aureæ quas dixi, Delphis positæ, paulo ante Leuctricam pugnam deciderunt, neque repertæ sunt. » Postea eamdem sententiam sic elegantius et brevius expressit: « stellæque aureæ, quæ Delphis

erant a Lacedæmoniis positæ post navalem illam victoriam Lysandri, quia Castor et Pollux cum Lacedæmoniorum classe visi esse dicebantur, paulo ante Leuctricam pugnam deciderunt neque repertæ sunt ».

XXXVI, § 78. Non dubitem edere, ex Lambini sententia aliorumque : « Fiunt *certæ* divinationum coniecturæ a peritis », pro vulg. *certe ;* parum enim in talibus valent codices. *Certæ* legitur in ed. Lips. — § 79. Malim legere : « nihil illo clarius », omissa voce *puero,* ut II, § 66.

XXXVIII, § 81. Omittendum censet Christius voc. *corporis,* ante *divinatio;* cui non assentitur C. F. W. Müller. ob ea quæ dixit Aristoteles. — § 82. Verbum *prænoscere* suspectum visum est Jortino, qui requirebat *præsignificare, præmonstrare, prædicere,* aut aliud ejusmodi significationis, cui assentitur Christius. Sed h. l. et libro II, §§ 102 et 105, Stoicorum Tullius expressit argumenta, in quibus deest transitus a prænoscendi notione ad significationem. — § 83. Legam cum Lambino : « Non igitur *et* sunt di ». Conf. II, § 106.

XXXIX, § 84. Non sine causa Hottingerus membrum : « si denique hoc semper ita putatum est », post verba : « qui urbes condiderunt », transferendum esse monuit ; cui Baiter. in ed. Lips. obtemperavit. — Christius addere velit *clarissimi* post nomen *poetæ,* quoniam alia nomina suum adjectivum habent ; equidem suspicor nomen *poetæ* cuidam librario deberi. — § 87. Prorsus alienam ab hoc loco sententiam : « Quid vero hoc turpius quam quod idem nullam censet gratuitam esse virtutem » merito delendam esse opinatur Kayserus, in ed. Lips.

XL, § 88. *Qui,* ante *avibus,* delendum esse Madvigius monuit. Confer. quæ diximus § 72. — § 89. Christius edidit : « Sic divinare regale ducebatur. Testis, etc. » ut volebat Auratus ; codices habent : « ducebant *ut* testis, etc. ». Baiterus cum Hottingero, « ducebant : testis, etc. » in ed. Lips.

XLI, § 92. Legitur in codd. « Sex singulis Etruriæ populis », unde varias effinxerunt conjecturas critici, quæ parum satisfaciebant ; Christius edidit : « X ex singulis Etr. pop. », quod legitimum videtur et cum Valerii Max. I, 1. 1. testimonio convenit. Baiter. in ed. Lips. « X singulis Etr. pop. ».

XLII, § 93. Jortinus legebat : « de cœlo apud eos multa *feriebantur,* » pro vulg. *fiebant ;* fortasse Tullius scripserat *iciebantur,* unde nata confusio. — Lambinum secutus *prodicunt* Christius admisit ; Baiterus vero in ed. Lips. scribit *prædicunt,* ut *prædici* N.D. II, 7. Equidem Tullium scripsisse *prodigunt, prodigi* verisimilius opinor.

XLIII, § 95. Verba « et discrimen » omittit cod. Vindob. Klotzius ea seclusit ; fortasse legendum : « *aut* discrimen », ut certamen ad bellum, discrimen ad pacem referatur. — Codices dant *auspicia,* post verbum *habent,* quod ab editoribus omissum fuit, quasi glossema adjectivi *externa.* — § 97. Davisio editores obsequuti sunt transferendam esse monenti, post verba : « ad libros ire iussit, » sententiam : « quantis in rebus quamque

sæpe responsis haruspicum paruit », quæ legebatur in codicibus § 98, post « prædictiones sunt ». Quod rarius quam decuit factum est. — Merito monuit C. F. W. Müller. legendum esse « visi soles *sunt* » « visus *est* » « visum *est* ».

XLIV, § 99. Baiter. in ed. Lips. addidit *e*, inter vocc. *filiæ* et *somnio*. — Malim legere *diiudicavisset*, pro *disputavisset*, quoniam hoc verbum sensu diverso statim bis usurpatur. — Baiter. ex cod. Rehdigerano scribit in ed. Lips. « *sanguine* fluxisse », pro vulg. *sanguinem*.

XLV, § 103. Cobetus (Mnemos. V, p. 247) monet legendum esse *scio*, pro vulg. *scis* quod sane absonum videtur. Legitur *scio* in ed. Lips. — § 104. Malim legere : « ego audivi *qui* diceret », pro vulg. « cum diceret », quia subinde legitur « cum vellet », mutato subjecto.

XLVIII, § 108. Bergk. versum : « Interea sol albus recessit in infera noctis » transponit post versum : « Regni dant operam simul auspicio augurioque » ; equidem magis idoneum locum videam post versum : « Quærit Aventino, servat genus altivolantum ».

XLIX, § 109. Videtur Tullius artificiosam præsensionem divinationi naturali opponere ; sed censet divinam præsensionem præstare perspicuitate et firmitate, quod exemplis docet ; itaque legendum censeo : « *divinâ* autem paulo obscurior », pro vulgato *divinæ*. — § 110. Libenter assentior C. F. W. Müllero legendum esse suspicanti : « necesse est cognatione divinorum animorum animos humanos *contineri* », pro *commoveri*. Baiterus sequitur Davisium legentem *contagione* pro *cognatione*. — § 111. Legam cum Christio « et *in* natura. » — § 112. Vere, opinor, C. F. W. Müllerus velit « Atque idem primus », pro vulg. « Et quidem idem pr. »

L. Si deleas *monte*, ante nomen *Taygeto*, ubi abundat, reliqua sententia bene procedit : « extrema montis quasi puppis avulsa est ». — § 114. Incisum « qui corporibus non inhærent » videtur esse enarratio voc. *tales*, scil. « animi qui spretis corporibus evolant », quod supra legitur. — § 115. Membrum : « quo de genere Apollinis operta prolata sunt », post *funderent*, transponendum esse censet I. F. Meyerus, cui Baiterus obtemperavit in ed. Lips. Jam vero Hottingerus sententiam : « Credo etiam anhelitus..... oracla funderent » male cum superioribus cohærere notaverat, et ad illa quæ supra leguntur § 114 : « multisque rebus inflammantur tales animi » esse referenda putabat ; mihi quidem hujus sententiæ locus legitimus esse videtur inter verbum *incitantur* et « multos nemora, etc. » — Legam cum Herelio *adflatæ*, pro *inflatæ*.

LI, § 116. Vix quisquam negare possit cum impeditam et male connexam primam hujus § sententiam videri, tum alieno loco positam ; etenim quomodo junges verba : « hic magna quædam exoritur » cum iis quæ sequuntur : « neque ea naturalis sed art. somn. Antiph. interpretatio » ? quare *magna* dicitur ? quare *exoritur* ? quare additur *quædam* ? quid valent

verba « eodemque modo »? quorsum mentio *explanatorum, grammaticorum, poetarum?* Totius loci elementa sic disponam : Incisum : « hic magna quædam exoritur » pertinet ad primam § 117 sententiam, quam sic Tullius expresserat : « Hic magna quædam exoritur quæstio quomodo aut vates aut somniantes ea videant quæ nusquam etiam tunc sint. Sed explorata, etc. » ; membrum : « neque ea naturalis, sed artificiosa Antiphontis interpretatio » legi facile potest post verba : « explanationes adhibitæ sunt interpretum » ; reliqua : « eodemque modo..... poetarum » negligenda sunt, quippe quæ ab scriptore ipso elegantius et plenius in ultima § 116 sententia reddita sunt : « item igitur somniis, etc...... interpretum » ; ubi vides voc. *somniorum*, quod legitur post *artificiosa* ex inferiore versu illatum fuisse, ubi jungebatur vocc. *oraculorum, vaticinationum*. Sic conjunguntur sententiæ : « Hæc somniantis est divinatio » et « nam ut aurum..... genuisset, etc. », quibus divinationis jus defenditur. Jam seclusit Christ. « ut grammatici poetarum ». Baiter. in ed. Lips. *Antiphontis* et vv. « sunt enim.... poetarum » circumscripsit. Conf. § 34. — Suspicor legendum esse : « nisi consection*em* eius *et* fabricam haberemus », ut supra : « nisi earum cultus et conditiones tradidisset ».

LII, § 118. Malim : « *Iam* non placet Stoicis », pro *Nam*, quæ particula transitui minus apta est et male convenit cum iis quæ sequuntur : « neque *enim* decorum est ». — § 119. Conjicit Bakius (de Legg. p. 608) esse legendum : « qua ille novitate perculsus, quum Spurinna *disseruit* timendum esse ne, etc. ». Equidem malim : « qua ille re *non tamen* est perculsus, quum Spurinna diceret », ubi *quum* valet *quamvis*. Lectio codicum *novitate* absorpsit particulam unde pendet *quum*. C. F. W. Müller. conjicit : « Qua ille re nequaquam ille...... perculsus est ». — Lacunæ signum non ponam post *proficisci*, nam sententia : « earum enim rerum utramque a corde proficisci », ad Spurinnæ responsum pertinet.

LIII, § 121. Ingeniose et erudite censet Foertsch. legendum esse *Arbelis*, pro vulg. *armis*, quam conjecturam si accipias, servandum erit voc. *prælio*, quod, auctore Davisio, Christius seclusit. — Merito legit C. F. W. Müller. : « se *tradidit* », pro vulg. *tradit*. — Merito monet Hottingerus transferenda esse verba : « et ad extorum », ante : « reliquorumque signorum. »

LIV, § 122. Abundat *et*, ante « nostrum quidem », et abest a cod. Rehdig. ; sic volebat Hottingerus. — § 123. Omittam, cum Lambino et Manutio, *suum* post *oculum*. — Fortasse Tullius scripsit : « *sane* seu *certe* quidem ii qui, etc. », pro vulg. « *cum* quidem ii qui, etc. ».

LV, § 126. Legendum cum Davisio : « et quæ *sequentur* futura sint », cui obtemperavit Baiterus in ed. Lips.

LVII, § 129. Malim, cum Davisio et Madvigio, legere *seiuncti* pro *seiuncta*. Sic edidit Baiter. in ed. Lips. — Suspicor adj. *liberi* a versu superiore in inferiorem illatum fuisse, ut nonnumquam fieri contigit, et legendum esse post « animi hominum ». — Verba : « mente permoti » supervacua omnino

videntur et impropria; non enim dici potest « animi mente permoti ». — Voc. *animi* etiam abundat, inter *corpore* et *videre*, quod jam monuit Manutius. — § 130. Legendum esse puto : « Posidonius, *qui* esse censet in natura signa quædam rerum futurarum. » — § 131. Non intelligo quare editores servant *dicas*; videtur enim Quintus Pacuvii non ipsius fratris versus citare, quoniam addit : « paucis interpositis versibus. »

LVIII, § 132. *Sed* Ciceronis esse posse monet Ribbeck., ante voc. *superstitiosi*.

LIBER SECUNDUS.

I, § 2. Legere velim, pro vulg. *perpurgatus*, *pervulgatus*, quod melius Ciceronis civibus suis optimarum artium vias tradendi consilio responderet. — § 3. Seclusit voc. *rebus* Christius, monente Ernestio; suspicatur potius voc. *editis* C. F. W. Müller. Fortasse legendum *expletis*, seu *apertis*, ex verbo *aperuerunt* § 2.— Nonnihil offendit part. *perfecti*, quia paulo infra legitur alio sensu *perfecta*; fortasse scripserat Tullius *perscripti*. — § 4. Abundare nomen *libri* videtur, post *oratorii*.

II, § 6. Bakius (de Legg. p. 632) legendum esse censet : « quasi homin*ibus* aut temporibus iratus ».

III, § 9. Opinor esse legendum : « Aut num nescio qui divinus, si ille oculis captus sit », mutato loco pron. *ille*. Christius velit : « Aut num ille divinus nescio qui ».

VIII, § 20. Hottinger. verba « L. Iulio et P. Clodio consulibus » post incisum « bello punico primo » transponenda esse merito censebat. Ea verba auctore Mosero seclusit Baiterus in ed. Lips. — § 21. Christius, monente Davisio, seclusit verba : « certe potuit », quæ in codd. leguntur. Pearcius legebat : « certe non potuit »; equidem, omissis verbis « certe potuit », legam « *non* id vitari potuit », pro *num*. — Legam cum Madvigio : « idem eventurum *fuit* », pro *fuisset*; et transferam post « eventurum fuit » verba « mutari enim fata non possunt. » Idem fecit C. F. W. Müller. — Alieno sensu adhibetur verbum *accidere* in sententia : « quod potest aliqua procuratione accidere ne fiat »; legendum esse opinor *arceri*, seu : « quod *potes*.... *avertere* ne fiat. »

— IX, § 22. Legam cum Kaysero : « Marcone Crasso putas utile *futurum* fuisse ». — Non satisfacere potest lectio vulgata : « in solitudine Ægyptiorum », unde nullum idoneum sensum factisque consentaneum elicias; nec

defuere ingeniosæ conjecturæ, quæ tamen magis a codicum lectione differunt, quam ut prudenter admittantur; equidem legendum esse opinor: « in *sollicitudine Æ*gyptiorum », quoniam Ptolemæi regis ministrorum jussu, tum Pompeii ipsius auctoritatem, tum Cæsaris victoris iram metuentium, occisus fuit Pompeius. — § 24. Non bene cum prioribus nectuntur, particulæ *nam* ope, ea quæ in hoc § leguntur; nulla enim intelligitur consequentia; itaque legam: « *Iam* illud quidem dici etc. » — Incisum: « non igitur fatales exitus habuerunt », alienum ab orationis serie videtur; nondum enim exspectatur conclusio; sed hoc emblema adduxit mutationem particulæ *enim* in *autem*.

IX-X, §§ 24-25. Baiterus, in ed. Lips. addit *qui*, inter *haruspices* et *cum*, et Madvigio auctore (ad Cic. de Finn. p. 690) legit « dixerunt, addunt ad extremum... divinis procuratis? » sublato interrogandi signo, post *dixerunt*.

XI, § 26. Verba: « aut acceptos » merito suspecta visa sunt Rathio; ea seclusit Baiter. in ed. Lips. Conf. I, § 110.

XII, § 29. Ex proximitate et similitudine vocum *vique* et *atqui* orta est lectionis vulgatæ confusio; utraque servanda est, vix enim *atqui* abesse potest, ante « cum rerum natura », ut responsum indicetur seu contrarium argumentum. — Opinor legendum esse: « quid habent tale quod declarare possit », pro vulg. « quid habet naturale. » Klotzius scripsit: « q. h. natura tale »; vox *natura*, vel errore vel glossematis causa addita, effecit adj. *naturale;* fortasse orta est ex litteris finalibus verbi *habent*, quod restituit Moser.

XIII, § 30. Legitur in codicibus « significari puto », quod glossema manifeste prodit; itaque Gruterus verba « salubritatem etiam aut pestilentiam extis significari puto » merito omittenda esse censebat. Editores maluerunt legere *putat;* nonnulli etiam addunt *non*, ante « hæc dumtaxat ». — C. F. W. Müller. suspicatur legendum esse *oculum*, pro vulg. lect. *ludum*, conferri jubens Tusc. Disp. X, § 114, De Fin. V, § 87; equidem malim legere *lumen*, quod vere et tropice intelligi potest. — Malim addere verbum *habent* post *horridum*, ubi absorberi potuit voce præcedenti, quam formam pristinam genitivi fem. *aliæ* admittere, cujus exempla apud Ciceronem desunt. Verbum *est* post *plenum* debetur librariis, qui id addiderunt ob omissum *habent*. — § 31. In formula: « Parum, credo, impudenter » inest ironia, quam prodit verbum *credo;* quod fugit Ernestium qui legit *pudenter*. — Vere monuit Madvig. (de Fin. p. 537) legendum esse: « quod, cum factus *est* motus, dicere audent quæ vis id effecerit. » Christius sequutus est codices qui habent *esset;* Baiter. in ed. Lips. scribit « factus est. » — Bakius (de Legg. p. 465) legendum esse censet: « etiam futurum esse aquæ iugis colore præsentiunt », sublato interrogandi signo, cui assentior. — § 32. Malim: « Vera sint sane ista Democritea »; omisso *verum*.

XIV, § 33. Omittam *ut*, post *arboresque*, et legam *putantur* pro *putentur;*

quia vix verbo *contingere* convenit notio putandi ; quod si mavis, legendum est : « arboribusque, ut hiemali, etc.... putentur », ita ut respondeat « ostreisque et conchyliis ». Fortasse verbum *cædi* debetur lectori quem fugiebat sensus verbi *putentur.* — Vere monet C. F. W. Müller legendum esse *senescente*, sc. *luna*. Sic omitti potest *cum*, et legendum *sunt*, pro *sint*. — § 34. Legam cum Mosero : « qua ex *cognatione* naturæ », pro vulg. *coniunctione ;* quoniam legitur supra « cognatio naturalis ».

XV, § 35. Equidem non intelligo quid sit, hoc loco, vis *sentiens;* opinor legendum esse : « vim quamdam *scientem* atque divinam ». Cod. A. habet *sencientem*. — § 36. Sequitur Davisium legentem *inventum iri*, pro vulg. *inventurum*, Baiter. in ed. Lips. — § 37. Ingeniose conjecit Madvig. voces « primæ victimæ » inserendas esse loco voc. *tristissima*, quod abundare vidit Hottingerus; quæ conjectura si admittatur, tum secludenda vox *hostia*, quæ proximo versu legitur. Hottingerum Baiterus sequitur, et secludit *tristissima* in ed. Lips.

XVI, § 37. Malim legere cum Marso : « An quod *adspexit* », pro vulg. *adspexerit.* — Assentior C. F. W. Müllero legenti, pro vulg. lect. « interitus atque obitus », « ortus atque obitus », quod admodum convenit cum iis quæ sequuntur.

XVII, § 38. Christius censet legendum esse : « hostiarum *causam* », pro *casum;* sic edid. Baiter. in ed. Lips. — § 39. Melius procedet oratio, ni fallor, si legas : « .... *si* mihi agnus adfertur qui *habeat* exta rebus accommodata, ad eum agnum non casu sed duce deo servus deducitur? », pro vulgg. *is*, *habet* et omissa particula *et* ante « ad eum ».

XIX, §§ 43-44. Nonnihil perturbatum fuisse hoc caput paulo attentius legenti facile patebit; cui confusioni sic esse medendum opinor. Post verba : « id esse fulmen », totum hunc locum, paucis mutatis, transferam : « Non enim te puto esse eum qui Iovi fulmen fabricatos esse Cyclopas in Ætna putes; nam esset mirabile quo modo id Iuppiter totiens iaceret, cum unum haberet, nec vero *quod* fulminibus homines, quid aut faciendum esset aut cavendum moneret ». Sic Stoicorum notiones physicæ opportuno loco memorantur, nec religiosæ superstitionis interrumpitur refutatio.

XX, § 46. Magis consentaneum Tullii menti mihi videtur legere : « Frater es, eo *seu* ego non vereor », addito *non*, ut volebat Schützius, ex veteribus libris. — Rathius vellt « cum enim intelligeres »; Kayser. « qui enim intelligeres »; ego vero malim « qui enim intelligens », seu « qui cum intelligeres ». Nihil tamen offendit in vulg. « quod enim intelligeres ».

XXI, § 47. Non satis liquet quid h. l. valeat *vetustum*, et quoniam de periculo agitur, opinor legendum esse : « quid habent obser*vandum* ac *metuendum ?* » Markland. legebat : « quid habent observandum. At vetus, tum P. N. n. » — § 48. Non dubitem hic legere *Pasitelia*, *Pasitele*, ut factum est I, § 79, ex opinione doctissimorum virorum. Nimis religiosi fuerunt

Christius et Baiterus qui, priore correctione admissa, posteriorem inserere non ausi sunt.

XXIII, § 51. Legam *abdiderat*, cum Lambino.

XXIV, § 52. Nec dignitatem nec peritiam haruspicis indicat adj. *summus*; itaque libenter ingeniosam Davisii conjecturam admittam legentis *Spurinna*, pro *summo*, quæ cum historiæ testimonio congruit. — Cum Klotzio legam, « unum in locum », contra codices qui habent « uno in loco », et quorum auctoritas hic non valet. — § 53. Merito monet Christius legendum fuisse : « Nunc ad ostenta *redeamus* », pro *veniamus*, quoniam de ostentis jam dictum fuit cap. XXII; quod caput inutile factum est ampla de ostentis disputatione, quæ capp. XXV-XXXIII continetur. Itaque cap. XXII priori operis adumbrationi tribuit; cui opinioni libenter assentior.

XXV, § 54. Legendum esse vidit C. F. W. Müller. « in *Leuctricis*, » quod jam in Marsi edit. anni 1508 legebatur, pro « in Leuctris. » — Seclusit Christius *ea*, ante « di immortales », cujus voculæ in codd. locus est incertus, et quæ a Lambino prius ejecta deinde post *primum* merito translata fuit.

XXVI, § 55. Mutem *etiam* in *enim*, post *nonnumquam*; quippe hic monere vult auctor quare de natura et casu simul loquatur. — Malim « causas *vero* non quærere », pro *rerum*. — § 56. *Gallinaceos*, pro *gallinas*, Davisius merito legebat. — Christius conjicit : « tantæ *rei* civitati », quod legitimum videtur. — § 57. Non negligam quorumdam codicum lectionem *rursus* pro *russis*.

XXVIII, § 62. Codices habent, post *dicitur*, seu *qui quodam*, seu *qui eum*, unde Davisius legere volebat « qui quondam » vel omittere *cum*; Halmius : « cum quidam ad eum retulisset ». Christius edidit : « dicitur † ei, qui cum ad eum ret. ». Kayser. velit : « dicitur, qui, cum ad eum retulisset quis ». Baiter. « dicitur, qui, cum ad eum retulissent ». Equidem malim : « dicitur; *etenim* cum quis ad eum retulisset, etc. ». — C F. W. Müller. censet delendum esse voc. *ostentum*, post verba « quod fieri posset ».

XXX, § 63. Opinor Tullium scripsisse : « Nam illud mirarer, si *crederes*, » pro vulg. *crederem*. — Memoriæ lapsum religiosius servaverunt editores; etenim Ulysses loquitur non Agamemnon. Equidem omittam verba : « loquitur Agamemnon », quæ facile abesse possunt; nec parcam verbis : « apud Homerum », ante *Calchantem*.— § 64. Codicum lectionem *formavit* suspicati sunt critici : Moserus, probantibus Buttmanno (Lexil. I, p. 256) Orellioque, legebat *firmavit*. Christius conj. *velavit*. At Heynius jam pridem monuit μῦθον ex cujusdam saxi forma oriri potuisse; cui F. A. Wolf. assentitur. — § 65. Baiter. merito addidit *exercitum*, ante « educturus esset », in ed. Lips.

XXXI, § 66. Christius habet *Solonio*; at, I, § 79, edidit *Selonio*. — Verbum *ostendisse* abundare mihi videtur, ante *Africano*.

XXXII, § 68. Malim legere : « *nam* quicquid in capite est, etc. » et mox : « *iam* quod eodem tempore ». — § 69. Item legam : « *Iam* illa prædicta Veientium »; in talibus minime codicibus fido. — Lacunam post *Veios* nota-

vit Lambinus, quam sic explere tentavit Christius : « Veios : omni ex parte rata extiterunt? num minus Roma a Gallis capta est? ita aqua, etc. ». Equidem levius remedium proponam legendo *attamen* post *Veios*, pro *ita*, et inserendo *est* post *deducta*. Nonnumquam *attamen*, *tamen*, *ita* in codd. permutantur ob compendia.

XXXIII, § 70. Sententiam : « errabat enim multis in rebus antiquitas », quam Pearcius uncis inclusit, post verbum *videmus* esse transferendam censeo ; sic correctio Clerici « quas..... immutatas » fit inutilis.

XXXIV, § 72. Edidit, auctore C. P. Kaysero, Baiterus « si pascentur » in ed. Lips. — Transferam, inter *pascuntur* et « quæ aves », verbum *inquit*, quod legitur in versu inferiori, post *attulit*, ubi alienum est.

XXXV, § 73. Legendum esse censebat Hottingerus : « si modo esset *avi* liberum se ostendisse », pro vulg *ei*. Equidem suspicor voces « se ostendisse » ex scholio ortas esse et omittam *ei*.

XXXVI, § 77. Verba : « Nam ex acuminibus........ idem augur optimus », post incisum : « a bellicis esse sublata », collocanda esse censet Madvigius. Equidem priorem §i sententiam : « Itaque nec amnes.....auspicantur ; » non a sequentibus sejungam, eamque etiam transferam post verbum *sublata* ; sed opinor legendum esse : « *ne* ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est ; *nam* M. Marcellus ille quinquiens consul totum omisit, idem imperator, idem augur optimus ». — Legam cum C. F. W. Müllero : « ad urbanas res retenta », et paulo infra : « atque idem ille dicebat », pro vulg. « et quidem ille d. ». Conf. I, 112.

XXXVIII, § 80. Legam cum codd. AB. : « illud erat philosophi potius augurii primum naturam ips. vid. » omissa voce *totius* quæ supervacua est. Baiterus in edit. Lips. servat *totius*.

XXXIX, § 81. Legam cum Hottingero : « *horum* auctoritatem », etenim hic loquitur de Stoicis, sed in priori versu *eorum* designat Epicureos ; sic nihil perspicuitati nocet.— Suspicor Tullium scripsisse : « si *in ominibus*, in auspiciis et in omni divinatione » ; principes editiones habent *omnibus* ante *auspiciis*, sed enumeratio brevior fit, si unum nomen memoratur. — § 82. Memoriæ lapsum nostri auctoris hic corrigam, legendo *Ulyxes* pro *Aiax* ; sic equidem editoris seduli officium intelligo. — Lambinum sequar legentem : « quæ *mala* sint », pro « quæ bona » ; quam correctionem requirunt verba : « quamquam haud ignoro ». — § 83. Legam cum Hottingero : « *Nonne* necesse est fateri », vel contra codices qui hic nihil valent.

XL. Sequor Christium legentem : « Cæcilia *se* sororis filiæ sedes suas tradere ».

XLI, § 85. Verbum *putas* mihi videtur abundare, post « dicendum igitur ». — Omittam cum Ernestio *visis*, post *perterritum*, quod nocet perspicuitati. — Verba : « mammam adpetens » videntur glossema participii *lactens*. — § 86. Geminam enunciationem mihi deprehendisse videor in verbis : « quæ

hodie Fortunæ monitu tolluntur », et in illis : « quæ F. m. pueri manu miscentur atque ducuntur » ; alterutra sententia sufficit, et poni debet ante verba : « Quid igitur in iis, etc. ». Malim servare breviorem.

XLII, § 89. Marsum sequuntur merito Baiterus in ed. Lips. et C. F. W. Müllerus legentem *vocantur* pro *vocentur*. — Lacunæ signum ponam post verba : « quadrata nominant » ; nam sententia quæ a particulis *cum autem* orditur, non absolvitur et omnino pendet ; neque continuatur iis quæ sequuntur, etiamsi legas ut vult Hottinger. probante Madvigio, *et cum* pro *etenim cum* ; quia prius *cum* ad tempus refertur et valet *postquam*, posterius vero ad causam et valet *quoniam, quandoquidem*. Παρένθετα habentur verba : « ea triangula illi et quadrata nominant ». — Non mutem codicum lectionem « *tempore* anni » in « *temporum* anni », quia genitivi plur. *temporum* et *tempestatum* non pendent a voce *conversiones* ; sed *tempore* idem valet quod *spatio*, scil. « anni tempestatumque ». Fieri potuit ut Tullius priorem sententiam : « cum autem in eam, etc...... quadrata nominant » absolvere omiserit eamque imperfectam reliquerit, et in animo habuerit, post verba : « quæ vocantur errantia », statim subjungere : « Etenim cum, etc.... eventusque fingi », in qua sententia legimus ea quæ in priore deesse videntur.

XLIII, § 90. Opinor legendum, quo melius inter se nectantur sententiæ : « Quibus etiamsi Diogenes St. concedit aliquid....... futurus sit, cetera quæ profiteantur, negat ullo modo, etc. »

XLIV, § 93. Malim legere : « qui potest eadem *sors* esse nascentium », pro vulg. *vis*. Davisius legebat seu « *vis* esse in nascentes », seu « *vita* esse nascentium ».

XLV, § 94. Ciceronem scripsisse puto : « Sed quæ tanta dementia est, *cum* in maximis motibus...... nihil intersit...... quarum rerum in pr. loc. t. d. sæpe *sunt*.... quod qui navigant maxume animadvertunt, cum in fl. prom. vent. mut. max. sæpe *sentiant*, etc. ». Quam lectionem ipse scriptor indicat, quoniam orationem repetens, scripsit : « Hæc igitur *cum* sit tum serenitas, etc. ». — Incisum : « quod non certe pertinet », Hottingero aliisque suspectum, seclusit Christius qui conferre jubet II, § 21.

XLVI, § 96. Verba « contra naturam », ante *depravata*, abesse sine detrimento possunt. — Elegantior videtur Davisii legendi ratio : « *aut* natura », quam « ab nat. », cum deinceps legatur « *aut* arte atque medicina ». — § 97. « Lunæ tactus » idem valet quod *contagio* § 92. Nihil igitur mutandum.

XLVII. Bakius (de Legg. p. 437) legendum censet : « quæ.... Panætius *disserit* », pro vulg. *dixerit*, quod mendosum. Baiter. in edit. Lips. scribit *dixit*. — Idem dat *nascantur*, pro codd. lect. *nascuntur*.

XLIX, § 102. Baiter. malit « eventura sunt » pro « futura sunt », et paulo post « significationis scientiam » ut infra § 105. — Legendum ut infra § 106 : « non igitur *et* di sunt nec signif. fut. ».

L, § 103. Omittam *esse* post *omne* cum Madvigio, cui obsequitur Christius. — Scribam cum Herelio : « Quod finitum est, inquit, *id* habet extremum ».— Malim legere : « quum igitur nihil habeat extremum », scil. *omne*. Lambinus volebat : « omne igitur nihil quum habeat ». — § 104. Vix abesse potest, post *rebus*, seu *veris*, seu *non dubiis*, ut monuit Hottingerus ; seu *certis*, ut § 106.

LI, § 106. Incisum : « quod absurdum est », post verba : « fac dare deos », suspectum videbatur plerisque prioris ætatis criticis, quibus assentior ; ab Orellio suspicio cessavit. Melius legetur hoc incisum ante verba : « fac dare deos » ; si quidem id servare velis.

LII, § 107. Cod. Reg. habet : « *usum* oculorum », pro *sensum* ; quæ lectio non spernenda. — § 108. Formula : « aliquid dicere » respondet græco λέγειν τι ; tum « si quis...... dixerit » valet : « si evenit ut quis..... dixerit » ; itaque nihil mutem in lectione vulgata.

LIII, § 109. Malim ut prius legebatur : « *quod* tam perspicuum sit », pro *cum*, quod admiserunt recentiores editores ; etenim *quod* et *cum* sæpe permutantur, et deest subjectum verbi *sit*, si legas *cum*. Tacet Christius. — Omittam *esse* inter *naturam* et *docet*. — Legam cum Halm. « prædictum *est* » pro *sit*.

LIV, § 111. Addam cum Christio *cuiusque*, inter voces *primis* et *versus*. — Omittam colon : « id certe magis est attenti animi quam furentis », cujus summa infra repetitur, § 112. — § 112. Opinor legendum esse : « *Itaque* (scil. *et ita*) in Sibyllinis *a* primo versu carmen omne prætexitur », omissis verbis : « cuiusque sententiæ primis litteris illius sententiæ », ubi latet glossema particulæ *itaque*, sumptum ex definitione voc. ἀκροστιχίς.

LVI, § 115. Malim legere cum Varrone *oblines*, pro *obsides*, et cum Grutero *foras*, pro *fera*, quoniam præcedit *sæva*. — Fortasse legendum « in vaticinatione », pro « in omni oratione ». — § 116. Placet conjectura Aug. Nauckii legentis *sapientiloquentes*, pro vulg. *sapientipotentes*.

LVII, § 117. Verba « isto modo » hoc loco aliena sunt ; vix stare possunt post incisum : « sed quod caput est » ; suspicor illa cuidam enarratori deberi et locum usurpavisse verbi *obsecro*, quod dialogo magis consentaneum est. — Particula *iam*, post « iam diu », nonnihil offendit ; malim *ita*. — § 118. Walkero aliisque egregiis criticis, qui verba : « id est quasi cum Philippo facere » spuria censent, obsequendum esse reor, quoniam ipse Tullius verbum græcum mox interpretatur. — Voc. *Delphicis* ejiciendum esse censet Madvigius, non assentiente C. F. W. Müllero, qui excidisse putat *ex*, ante « quo licet existimare ».

LVIII, § 119. Addam cum Schutzio *id*, ante « ipsum esse dormire » ; idem putat Bakius (de Legg. p. 484), qui omittit *et*, post *concidere*. — Fortasse excidit *solent*, post *abstinere*. — § 120. In principio hujus §[i] geminæ enunciationis vestigium deprehendisse mihi videor ; itaque legendum, seu : « Per

sene ipsos igitur censemus dormientium animos in somniando moveri? » seu : « Utrum igitur censemus d. a. per *semet* ipsos in s. m. » — *Moveri* post vv. « ac seditionem » delendum esse monuit C. F. W. Müller., quia h. l. abundat et sumptum videtur ex versu superiori.

LIX, § 121. Vera mihi videtur correctio Schutzii legentis, pro « *totas* noctes », « *tot* noctes », quam Baiterus admisit in ed. Lips. Conf. § 141. — Merito sequutus est Christius Muretum legentem : « *dormimus*......... qua non *somniemus* », quam legitimam correctionem, a Manutio et Lambino adsumptam, Orellius sine justa causa repudiaverat edendo *somniamus*, post *noctes*, et *dormiamus*, post « qua non ». — Verumtamen ea sententia « Tot noctes..... evadere? » alieno loco posita exemplorum seriem turbat, et videtur transferenda paulo infra ante verba : « quod si ceteris temporibus, etc. », ubi scriptor de somniis agit. Sic non opus lacunæ signum ponere ante « Quis est enim », ut fecit Christius. — § 123. Malim legere : « *An* sine medico, etc. », pro vulg. « et si sine m. ». Christius et Baiter. scribunt « *et* sine m. ».

LX, § 124. Fortasse legendum : « sed hæc *utique* in promptu fuerint », pro *quoque*, quod suspectum est, et legitur paulo supra cum *hæc*. — Deleam « ex somniis », auctore Davisio.

LXII, § 128. Exempla desunt ablativi ex verbo *insistere* pendentis, nec placet *numquam* ante participium *insistens*, quum referatur ad verbum *potest* ; itaque legendum esse opinor : « Naturam autem eam dico, *in quam* animus insistens agitatione et motu esse vacuus *non* potest ».

LXIII, § 129. Malim : « Venit *ergo* iam in contentionem », pro *enim*, quæ particula hic sensui obest. — Legam cum Joach. Camerario *circumcursare*. — Plerique codices habent *aliquod* seu *aliquot*, seu *aliquos*, unde editores fecerunt « stertentes aliquos » ; optimi vero dant : « stertentem aliquem », quam lectionem prætulit Christius, qui tamen servavit plur. *iis*, *illi*, *exterriti*, *deferant* ; equidem omittam verba : « et cum stertentem aliquem viderint », quæ abundant.

LXIV, § 132. Legam cum Lambino : « *Illi* vero, nimis etiam obscurus Euphorion » ; seu cum Davisio : « *immo* vero, etc. ». Lectio vulgata *ille* absurda est. — § 133. Sequor Lambinum omittentem *dicere*, post *cocleam*.

LXV. § 134 In principio §[i] ponam membrum : « Est hoc in Chrysippi libro somnium » ; qui locus aptior videtur, quam inter *cubicularis* et *respondit*.

LXVI, § 135. Legam cum Herelio « *quippe* cum Ptolemæus » — Fortasse legendum : « emisit *statim* qui, etc. ».

LXVII, § 137. Omittam voc. *imaginem*, post « unde profectam ». — Suspicor legendum : « Ex eo, *inquiet*, quod fuerat », scil. Democritus, si interrogetur. — Christius censet transferenda esse verba : « plena sunt imaginum omnia », post *persequebatur* ; ego vero transferam potius colon : « Ista

igitur me imago Mari in campum Atinatem persequebatur », post verba : « pulsu imaginum », ne Democriti responsum dividatur. — § 139. Cum Davisio et Hottingero Baiterus verba « et corpore » seclusit in ed. Lips. — Idem addit *est*, post *desertusque*.

LXIX, § 142. Expectatur quædam oppositio in principio hujus cap., quæ oppositio indicatur infra : « thesaurus vero, etc. »; itaque Hottingerus legere volebat : « At enim », pro *etenim* quod tuetur Madvigius ; equidem legam : « Attamen — etenim ex divisione hoc secundum est — quæ est, etc. ». Priorem conjunctionem posterior absorpsit.

LXX, § 145. Addidit merito Baiter. *ista*, post verba « quæ est », in ed. Lips.

LXXI, § 147. Lambinus conjiciebat : « naturæ societas est ». Hottinger. « naturæ est societas », quem secutus est Baiter. in ed. Lips. Deest verbum in codd.

LXXII, § 148. Legitur in marg. ed. Lambini 1584 : « explodatur *igitur* », quæ particula vix abesse potest, eam admisit Christius. — § 149. Malim cum Manutio legere : « stirpes.... *elidendæ* », seu *excidendæ*, quam *eligendæ*, cum Madvigio, quem Baiterus sequitur, in edit. Lips. Christ. vero servavit vulg. *eiciendæ*, in ed. Tur.

DE FATO.

II, § 4. Fortasse legendum : « sed quoniam rhetorica mihi *nota* sunt *tota* ». Codd. habent *nostra*, Manutius « *vestra* sunt nota. »

III, § 5. Quæ hic referuntur exempla ex Posidonii libro videntur hausta, non igitur cum prioribus jungi debent ; præterea incisum : « pace magistri dixerim », post adj. *absurda*, non vero ante collocandum est ; itaque sic edendam esse sententiam opinor : « Sunt, inquam, quædam absurda, ut in illo naufrago, ut in Icadio, ut in Daphita, quæ etiam Posidonius, pace magistri dixerim, comminisci videtur », eamque post verbum *possunt* esse transferendam. — Merito secludit Christius *aut*, inter *magnum* et *naufragum*.

IV, § 8. Malim cum Hottingero et Orellio legere « *diiungo* longius », pro vulg. *diiunge*.

V, § 11. C. F. W. Müllerus velit *tollentur*, quem sequar.

VI. Kayser. *utuntur*, pro vulg. *utantur*.

VII, § 13. Verba : « ut si dicatur Africanum Karthagine potiturum » ad alteram divisionis partem « si vere dicatur de futuro », exempli gratia ab interpolatore quodam addita esse Christius judicat ; equidem opinor trans-

ponenda esse verba : « et si vere dicatur de futuro », post incisum : « ut ea fieri non possint », et post *potiturum* legendum esse : « idque ita *factum* sit, dicas esse necessarium », pro *futurum*.

VIII, § 15. Sequitur merito C. F. W. Mullerus Madvigium legentem *conexionibus*, pro vulg. *coniunctionibus*. — Legendum cum Sturmio : « Non *et* ei venæ, etc. » ut infra « Non et sunt, etc. ». Codd. habent « non ei ». Hottinger. legebat « non cui » ; sic edidit Christius. Baiter. in ed. Lips. Sturmium sequitur. — § 16. Legam cum Bremio : « *qui* in sphæra maximi orbes erunt » ; futurum *erunt* offendit post *quia*.

IX, § 17. Quoniam incisa « quæ facta *sunt* », vis tanta non *apparet* », « nihilominus futurum *est* » haberi possunt orationis rectæ, non falsa sunt, malim tamen legere *sint*, *appareat*, *sit*, quæ formæ Tulliano mori magis consentaneæ videntur. — § 18. Codices habent : « nec *minus* necesse mori Scipioni quam illo modo mori » ; plerique editores conjecturam Rami *magis* pro *minus* legentis admiserunt ; Davisius autem legere volebat : « nec minus necesse mori Scipionem illo modo, quam mori », quod placet, quia sic tautologia non adeo manifesta est. — § 19. Velit C. F. W. Müller. « *Descendet* in Academiam Carneades », pro vulg. *descendit*, ut infra « morietur Epicurus. » — Legam cum Bremio : « sed quod ita *cecidit* », pro vulg. *cecidisset*. Subinde codd. V[1]V[2] habent, pro *casurum*, *causarum*, « a serie causarum », unde C. F. W. Müller. legendum esse conjicit : « sed quod ita cecidit, serie certa causarum, casurum, sicut cecidit, fuit ». Kayser. « sicut cecidit, verum fuit ».

X, § 22. Perturbatum fuisse sententiarum ordinem h. l. arbitror, quem sic restituam : « Sed Epicurus declinatione atomi vitari necessitatem fati putat. Non *vero* atomus ab atomo pulsa declinat, nam qui potest pelli alia ab alia, si gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua rectis lineis, ut Epicuro placet ? Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus et plagam, cum declinat atomus intervallo minimo — id appellat ἐλάχιστον — quam declinationem sine causa fieri, si minus verbis, re cogitur confiteri. Sequitur enim, etc. ». Conf. de Fin. I, §§ 19-20. Sic intelligitur quare usus est scriptor conj. *itaque* ; nec opus est lacunæ signo ante *sequitur*, quod ponit Christ. in ed. Tur. Conf. infra C. XX, §§ 46-48. — Transferendam esse conj. *si* post *depellatur* Madvigius censet ; Christius autem transponit incisum : « ne contingat quidem alia aliam » post verba « sequitur enim ut si » ; quod pariter sed graviori remedio sententiam restituit.

XI, § 23. Legam cum Baitero, in ed. Lips. « causam reperire non *possent* ». — § 24. Cum eodem « vas esse *dicimus* ». — § 26. Si Aulii Gellii XVI, 8, auctoritate utaris ad tuendam h. l. lectionem *pronuntiatio*, eamdem sequi par est C. X, §§ 20, 21 et infra § 27, et utrobique legere *pronuntiatio*, pro vulg. *enuntiatio*.

XII, § 27. Nonnihil offendit hæc formula : « causa causam serens » cujus, ni fallor, alterum exemplum vix reperias ; sequor equidem eos codices qui habent « causarum series », quæ lectio multo melius cum Tulliano usu congruit ; conf. N. D. I, § 9 ; Divin. I, § 125.

XIII, § 29. Legam cum Kaysero : « quod *ea* ratione », pro *eadem*.

XIV, § 32. Legendum esse censeo : « an etiam sine æternitate *ex causa* naturali futura, etc. ». Quis intelligat quid sit « æternitas naturalis » ? — § 33. Voces « quamque rem » mihi videntur abundare, ante *cognitis*.

XV. Vere Madvigius, in litteris ad Halmium datis, legendum esse monet : « quæ a divinatione ducuntur », pro vulg. « quæ ad divinationem dicuntur », cui obsecutus est Christius. — § 35. Verba : « non, ut eæ res causam adferrent amoris » scriptoris mentem non exprimunt ; malim legere : « *quasi* eæ res, etc. ». Lacunam ante « non ut eæ res » suspicabatur Lambinus.

XVI, § 36. Transponendam esse vidit Christius sententiam : « Nulla igitur earum........ causa dicitur », in principio §[i] ante : « Interesse autem aiunt, etc. » ; quod futuris editoribus efficiendum reliquit. — § 37. Verba : « invito Epicuro » spuria merito videbantur Bremio, cui obtemperavit Baiter. in ed. Lips. — § 38. Neque equidem parcam sententiæ admodum superfluæ : « aut quod falsum non est, qui potest non verum esse ? » — Malim « tenebitur *ergo* id quod a Chrysippo defenditur », quod magis auri satisfacit quam *igitur*.

XVIII, § 41. Vere *antecedentibus* omittendum censuit Davisius, post *adiuvantibus*, quod voc. Christius seclusit. — Monet Christius legendum esse aut *sunt* aut *sequi*, in sententia : « quæ si ipsæ non *sint* in nostra potestate, non sequitur ut ne adpetitus quidem sit in nostra potestate ». Ego malim *sunt*, quod hic non continuatur obliqua oratio ; nec in talibus codici vel optimo fidam. — § 42. Opinor legendum : « Nam quamquam adsensio non *potest* fieri », secundum usum Tullianum, quem librarius vel neglexit, vel ignoravit.

XIX, § 44. Omittam cum Lambino *non*, post « fateantur tamen eas ».

XX, §§ 46-48. In iis §§ facile agnoscas easdem rationes seu argumenta, quæ jam legisti C. X, §§ 21-23, unde novam potius, seu priorem elaborationem, quam libri continuationem in iis contineri putandum est.

CATO MAJOR, DE SENECTUTE.

I, § 2. De loco adverbiorum « satis digne » dissentiunt codices; BRS habent « satis laudari digne », I « etiam satis laudari digne », E « digne satis laudari »; alii « laudari satis digne »; unde suspicio oritur alterutrum adverbium additum fuisse; equidem omittam *digne* quod glossematis speciem habet. — § 3. Facile caream hoc membro : « hunc librum ad te de senectute misimus », quod mihi non modo supervacuum sed etiam incommodum videtur, quia orationis seriem turbat, quæ hoc omisso facilius procedit. Fortasse in margine scriptum quasi prooemii epitome in textum irrepsit; seu in priore elaboratione a Tullio scriptum fuerat et postea neglectum; etenim ad Atticum (XVI, 3) de hoc libro scribit: « Idem σύνταγμα misi ad te retractatius, et quidem ἀρχέτυπον ipsum crebris locis inculcatum et refectum ».

II, § 4. Merito scripsit Baiter., ex cod. Leid. « quam *si* octogesimum », in ed. Lips. — § 5. Legam : « quid est enim aliud nisi Gigantum modo bellare cum dis, naturæ repugnare? » nec elegantior nec auribus jucundior fit oratio, si invito sensu, *nisi* post *dis* positum teneas.

III, § 7. Malim : « sæpe *ego* interfui », pro *enim*, quæ particula hic aliena est. — Pronomen *quæ* merito Manutio suspectum est ante *C. Salinator* et *Sp. Albinus*; legendum esse opinor *quum*; sæpius enim permutantur hæ voces in codd. — Opinor Ciceronem scripsisse : « moderati enim *at* nec difficiles nec inhumani senes, etc. »; moderatos enim reperias senes qui se tamen proximis difficiles præstent. — § 8. Omnes codices habent : « Seriphius essem ignobilis »; Orellius edidit : « Seriphius essem nobilis ». Car. Langius olim hanc vocem *ignobilis* quasi glossema omiserat; equidem legam : « Me hercule, inquit, ego, si Seriphius essem, ignobilis; nec tu, si Atheniensis, clarus umquam fuisses. » Conf. de Legg. I, § 24, de N. D. I, § 78. Negatio latet in adj. *ignobilis*. — § 9. Vix dici potest, opinor, de armis, de artibus, etc. *deserunt*, malim *desunt*.

IV, § 10. Incisum : « eum qui Tarentum recepit », pro glossemate habent Cobet. et Rinkes, quibus contradicit Gust. Lahmeyer. (Philol. XXI, p. 287); conf. jubens Liv. 29, 148. Idem in Cat. Maj. XI, 35 malit sic distinguere :

« P. Africani filius, is qui te adoptavit ». — Cod. Leid., nuper a Theod. Mommsenio repertus, omittit verba « deinde quadriennio post factus » ; itaque Mommsen. legendum esse censet : « quæstorque magistratum », mediis omissis. Equidem ἐπέχω. — § 11. *Cum*, ante « quidem me audiente », nullum habet verbum quo referatur, nec tam longa est sententia quæ ἀνακόλουθον patiatur; legam « qui quidem, etc. », quod respondet verbis : « qui consul iterum », quæ paulo infra leguntur. — § 12. Omittam *est*, inter *nihil* et *admirabilius* cum codd. EL.; sic scripsit Baiter. in ed. Lips. — Addebat Schütz. voc. *viri* ante *laudatio ;* et revera videtur aliquid deesse ; fortasse *eius* excidit, ob finales voc. *manibus*.

V, § 14. Codd. BS. omittunt nomen *Ennius* post « mentionem feci », ut volebat Müller. cui assentior. — Sententiam : « equi fortis et victoris senectuti comparat suam » cuidam scholiastæ tribuam ; mihi admodum supervacua videtur. — Verba « tot enim vixit Ennius » pro glossemate habet Cobet. — § 15. Legere malim : « *Equidem* cum complector animo », pro *etenim*.

VI, § 16. Vidit Halmius legendum esse : « *etiam* ipsius Appii extat oratio », et paulo infra : « *etiam* sic a patribus accepimus », pro vulg. « et tamen » ; harum vocum compendia parum differunt in codd. — Opinor Ciceronem scripsisse : « septimo decimo anno » ; nam in talibus quid valent codices ? — § 17. Verba « similesque sunt » omittuntur in quibusdam optimis codd. BIS ; videntur alicujus scholiastæ enarratio formulæ « ut si qui ». Idem putat Halmius. Ea verba seclusit Baiter. in ed. Lips. — Idem, ibidem, omittit *multo*, ante *maiora*, cum codd. PQ. — § 19. Manutius legendum esse monuit : « *Sextus* hic et tricesimus », quæ lectio melius cum rebus a Catone memoratis congruit, quam *tertius*. Frequens est apud codd. signorum III et UI confusio. — § 20. Melius procedet oratio, ni fallor, si legas : « sic enim percontanti, ut est in Nævii poetæ Ludo, respondentur et alia et hoc in primis ». — Hoc loco communi : « Temeritas est videlicet florentis ætatis, prudentia senescentis » facile carebo ; cujusdam scholiastæ manum videtur prodere ; conf. quæ diximus ad § 14.

VII, § 22. Interrogandi signum, post *philosophi*, ponam, jungendo *senes* quæ vox communis est, verbo *meminerunt ;* scil. facti senes. — Kayserus omittendum esse censet *senex*, ante *dicitur*, cui non obsequutus est Baiterus in ed. Lips. — § 23. Verba : « num Homerum », male post *Gorgiam* posita, Halm. delevit ; equidem hoc nomen transponam ante verba « num Hesiodum » ; sic fecit Baiterus in ed. Lips. — Ciceronem scripsisse opinor : « an in omnibus *iis* studiorum agitatio vitæ æqualis fuit? » [illegible] censet Halmius. *An* hic valet *an non*. — § 24. Merito Baiter. in ed. [illegible] giensem alterum secutus, scribit : « Quamquam in his » [illegible] ribus, pro vulg. *illis*, et lect. ed. Tur. *aliis*. Manutius et [illegible] « in iis » ; ed. 1584 et Facciolatus : « in his ».

VIII, § 25. Legendum esse censeo : « *An* melius Cæcilius de sene alteri sæculo prospiciente? », omissis verbis « quam illud idem », quæ, ob comparativum addita, supervacua videntur, immo incommoda. — § 26. Notandus est h. l. usus verbi *videtis* sequente *ut* cum conjunctivo. Fortasse in eo verbo latet « videndum est ». — Mihi videntur transposita fuisse hæc incisa : « vellem equidem etiam illud » et « discebant enim fidibus antiqui » ; posterius in priore loco aptius legeretur, nisi malis hoc omittere, quasi scholion.

IX, § 27. Libenter legam, ut Madvigius velit : « nec nunc equidem vires desidero adolescentis » ; si legas *quidem*, videbitur Cato adolescentis vires desideravisse ; si legas *equidem*, sententiam suam profitetur ab aliorum opinione diversam. — § 28. Baiterus in ed. Lips. admisit lect. cod. Q. *composita*, pro vulg. *compta*. — § 29. Codices BEP habent *annales*, S *an tales*, unde Halmio videtur scribendum esse : « An ne *illas* quidem vires », pro vulg. lect. *eas*, quam servavit Baiter. — Malim *relinquemus* cum cod. Leid. et Orellio, pro vulg. *relinquimus*.

X, § 32. *Equidem* mihi videtur abundare, inter *vellem* et *idem* ; fortasse in versum superiorem irrepsit ex inferiori, ubi legitur merito : « me quidem ». — Legam cum G. Lahmeier. : « idem *posse* gloriari », quod cæterum auri melius placet. — Nonnihil offendit geminatum *senem* in sententia : « Ego vero me minus diu senem esse mallem quam esse senem antequam essem », ubi facillime in alterutro loco intelligi potest, admodumque languidam et dissonam orationem præstat. — § 33. vox *ætatis*, post *parti*, in tribus codd. BER deest ; nec eam desiderem in textu si abesset.

XI, § 34. Negationem *ne*, quæ in cod. Reg. seu P ante *desint* legitur, deberi suspicor librario qui hanc sententiam priori jungebat. Cicero, opinor, scripsit : « Desint in senectute vires » ; scilicet : Sumamus deesse vires in senectute. Scripsit Halm. cum cod. R. « Ne sint in s. v. ». — § 35. In plerisque libris olim legebatur : « Alterum *ille* extitisset lumen civitatis » ; optimi codd. habent *illud ;* cod. Trevirensis *aliud,* « solito errore » monet Orellius. Recentiores editores admiserunt *illud,* quod fateor me non intelligere ; suspicor autem hanc lectionem ex glossemate *aliud* vocis *alterum* ortam esse, quæ confusio secundum Orellium, frequens est ; itaque omittam *ille* ut *illud*. — Vide not. ad § 10. — § 36. Omittam verba : « quam senum », quæ non modo supervacua, sed contra scriptoris mentem addita mihi videntur. — § 38. Dissentiunt optimi codices de loco pronominis *me*, quod seu post *meus*, seu post *oblectaret* legitur ; sine detrimento abesse potest, nisi malis omittere *meus*, quæ vox perperam addita pronominis locum fortasse usurpavit. — Fortasse Tullius scripserat « quæ iam agere possem » ; negatio orta est ex iis quæ sequuntur ; at respondent prioribus : « quas si exequi nequirem ». Levis est oblectatio earum rerum quibus impares facti sumus. —

Freund, in Lexico, s. v. *sensim*, censet verba « sine sensu » vetustissimum glossema in textum irrepsisse.

XII, § 39. Voc. *voluptatis* mihi videtur abundare, inter *cuius* et *avidæ*, id seclusit Baiter. in ed. Lips. — § 40. Idem censeo de verbis « nisi voluptatis ». — § 41. « *Neque* enim » melius conveniret cum « neque omnino ». — § 42. Alieno loco posita videtur sententia : « Impedit enim consilium voluptas, rationi inimica est, mentis, ut ita dicam, præstringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium ». Post gravissima Archytæ verba et conclusionem quam inde Tullius trahit, minorem auctoritatem hæc sermonis summa præstat. Aptiorem locum, ni fallor, obtineret si, cum iis quæ sequuntur usque ad vocc. « imperii dedecus », in fine § 43 legeretur, post « optimus quisque sequeretur ».

XIII, § 44. Verba : « quod ea videlicet homines capiantur ut pisces » merito Valckenaer pro spuriis habebat.

XIV, § 46. Geminæ enunciationis vestigium reperire mihi videor in prima hujus §[i] sententia : prius scripserat, opinor, Tullius : « Ego vero propter sermonis delectationem tempestivis quoque conviviis utor » ; at deinde, omissis verbis « propter sermonis delectationem », quæ infra amplificavit, mutavit verbum *utor* in *delector*. Charisius ponit incisum : « propter serm. del. » post verbum *delector*. — Verba « ipsis voluptatibus » glossematis speciem habent ; hausta videntur ex § 48. Verba vero « in istis » iis respondent quæ supra leguntur : « quod si quem ista delectant ». — § 47. Codicem Leid. sequutus Baiter. in ed. Lips. scripsit *desideratur*, pro vulg. *desideratio*, quod non legitur apud Ciceronem qui uti solet voc. *desiderium*. — Sententia : « nihil autem est molestum quod non desideres », quæ paulo infra enarratur, fortasse quasi summa loci in margine scripta, perperam h. l. inserta fuit. — § 48. Malim legere : « *prope* intuens », quod melius respondet quam *propter* iis quæ mox leguntur : « procul eas spectans ». — § 49. Non intelligo quid prosit voc. *animum*, post verba « at illa quanti sunt » ; num latine dici potest : « animum secum esse secumque vivere » ? Itaque quidam codices addunt verbum *delectant* ; equidem voc. *animum* omittam, sed inseram *animus*, seu ante seu post *habet*. — Plerique codices dant verbum *mori*, seu ante seu post *videbamus* aut *videamus* ; Grævius et Orellius ediderunt, hic non sine dubitatione : « mori pæne videbamus » ; Madvigius omisit *mori* ; equidem censeo verbum deesse ante *videbamus*, quale *exerceri*, *oblectari*, *versari*, cujus primæ litteræ a finalibus adv. *iucundius* absorberi potuerunt. — § 50. Legam : « atque hæc *sunt* studia doctrinæ », pro vulg. « atque hæc *quidem* st. d. ».

XV, § 51. Vere Mommsen. legit « nec cuiquam », pro vulg. « nec umquam », secundum cod. L'. — Malim : « *munitam* vallo aristarum », pro *munitur*. — § 52. Verba : « satiari delectatione non possum » spuria judico ; quibus omissis legitima fit series orationis : videntur esse enarratio eorum quæ supra

leguntur : « quibus ego incredibiliter delector ». Nodum sensit Maur. Seyffert. qui velit legere : « obl. *non* noscatis ». — Merito omittit *ea*, inter *nonne* et *efficiunt*, Baiter. in ed. Lips. ex cod. Leidensi. — Verba « ferro amputans » mihi spuria videntur ; vix dicas « ars amputans » ; neque uti ferro ad coercendam vitem agricolæ solent.

XVI, § 56. Delendum censet Kayser. incisum « id est senes ». — § 58. Baiter. ex cod. Rhenaugiensi altero scribit in ed. Lips. « Sibi igitur habeant ». — Fortasse prius scripserat Tullius : « nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant *seu* tesseras : utrum lubebit. », et deinde sententiam sic correxit : « talos *et* tesseras, id ipsum ut lubebit, quoniam sine iis beata esse senectus potest ».

XVII, § 59. Malim legere : « atque ut *intelligatur*, pro vulg. *intelligatis*, quod ortum videtur ex prioribus « ut facitis ». — Nonnihil offendit duplex usus verbi *loquitur*, quod neutrum est quando agitur de dialogo cum Critobulo, activum quando narratur Cyri cum Lysandro agendi ratio, itaque addam, ut in cod. P manu 2, *quo* ante *loquitur*, et post « humanum fuisse », *ait*, quod a part. *et* absorberi potuit. — § 60. Restituit *Corvinum*, pro *Corvum*, Baiter. in ed. Lips. — § 61. Malim : « omnium *est* fama consentiens » pro *esset*, quoniam de facto nulla dubitatio subest. — Videtur deesse conjunctio seu adverbium inter *habet* et *senectus*, inseram *sane* quod fortasse evanuit ob primas syllabas voc. sequentis.

XVIII, § 63. Kayser. velit : « magno *in* consessu ». — Ciceronem scripsisse opinor : « senem illum *secum* recepisse », quo opponeret legatorum verecundiam Atheniensium negligentiæ; nihil addit sententiæ verbum *sessum*. — § 65. Codd. habent seu « omnis natura », seu « omnis ætas naturæ », seu « omnis ætas », quæ lectio mihi vera videtur. Scribit Halmius in ed. Tur. « omnis natura », Baiter. in ed. Lips., cum Bezzenbergero, « omnis ætas matura ».

XIX, § 66. Optimi codd. habent « non potest esse longe »; sic scribit Baiterus in ed. Lips. — § 67. Fortasse legendum : « quod *non* ita accideret, melius et prudentius *si* viveretur ». — Legendum esse : « Quod est *istud* crimen senectutis » monuit Wesenberg., pro vulg. « illud est ». — § 70. Legam cum Kaysero : « ver enim tamquam adolescen*tia* », pro vulg. adolescen*tiam*.

XX, § 72. Prorsus omisit Halmius primam §[i] sententiam : « omnium ætatum certus est terminus », quæ in codd. optimis fere omnibus deest, et quam sine dubitatione admiserat Orellius. — Incisum « mortemque contemnere », de quo dissentiunt codices et quod jam Ursinus damnaverat, quem sequutus est Schützius, adstipulante Madvig. seclusit Halmius ; equidem illud deleam. — Satis manifesta geminæ enunciationis vestigia apparent in sententia quæ vulgo sic legitur : « Hoc illud est, quod Pisistrato tyranno a Solone responsum est, cum illi quærenti, qua tandem re fretus sibi

tam audaciter obsisteret, respondisse dicitur : « Senectute ». Legendum esse opinor, seu : « Hoc illud est Pisistrato tyranno a Solone responsum quærenti qua...... obsisteret: Senectute ». Seu : « Hoc illud est quod Pis. tyr., quum ille quæreret q. t. r. fr..... obsisteret, Solon respondisse dicitur : Senectute ». — § 73. Scribit Baiterus, auct. F. A. Wolfio et Cobeto, *elegium*, in ed. Lips. — § 74. Malim, cum cod. Rhenaugiensi: « Iam sensus *morienti* aliquis esse potest », pro *moriendi*. — Ex codd. optimis Baiter. omisit *id*, ante *incertum*, in ed. Lips. — § 75. Bake (Mnemos. VIII, p. 213) legere velit: « morte *eluit* », pro *luit;* eum sequitur Baiter. in ed. Lips. — Omittitur ibid. v. *esse*, ante *profectas*.

XXI, § 77. Plerique codices, inter quos optimi, habent : « Equidem non video » ; P seu regius cod. habet : « non enim video », quem sequutus est Halmius ; vulgatam lectionem ego desidero. — Merito velit Baiterus : « tuum, Scipio, tuumque, Læli. » — § 78. Nonnihil offendunt verba « tantæ scientiæ », post « tot artes » ; neque similis copulationis exempla facile reperias ; equidem suspicor in margine scriptum fuisse « tanta scientia », quasi glossema incisi quod ante « tot artes » legitur; quod glossema in orationis serie perperam insertum, ante « tot inventa », pluralem formam induit ob voces inter quas positum fuit. Seclusit « tantæ scientiæ » Baiter. in ed. Lips. — Legam : « quia se ipse *movet* », et subinde : « *qui* numquam se ipse sit relicturus ». — Opinor legendum esse : « cum simplex animi natura *sit* neque *habeat* in se quidquam admixtum » ; nihil requirit imperfectum conjunctivi, et paulo supra legitur *habeat*.

XXIII, § 84. Malim legere : « *quum* contra decuit ab illo meum » ; *quum* et *quod* in codicibus sæpe permutantur.

LÆLIUS, DE AMICITIA.

I, § 2. Levius videretur ἀνακόλουθον, ut ellipsis verbi *dicere* seu *disserere* facilior, si legeretur *quem* pro *cum*, ante « sæpe multa » ; *tum* respondet adverbio *sæpe*, et originem dedit mutationi ; offendit etiam alterum *cum* post *solebat*. Possis omittere *illum*, ante *incidere*, at non opus. — Baiter. in ed. Lips. ex codd. scribit : « cum *et* ego ». — Legendum opinor seu : « qui tum fere *omnibus* erat in ore », seu « qui tum multis erat in ore » ; vix reperias formulam « in ore esse » sine hominis mentione ; itaque omitti non potest v. *multis* vel *omnibus*, ut volebat Valla. Solet Tullius jungere *fere* cum *omnes*, non vero cum *multi*. — § 4. Halm. Orellium sequutus omisit verbum *feci*, post verba « in Catone maiore », etiamsi legatur in omnibus

fere codicibus; quod equidem haud improbo. Abest *feci* in optimo cod. Parisiensi Didotiano. — § 5. Ciceronem scripsisse suspicor : « cuius tota *hæc* est disputatio de amicitia », ut alibi : « erit abunde satisfactum toti *huic* quæstioni ».

II, § 6. Omittam *modo*, post « tribuebatur hoc » ; non solum abundat sed textum ambiguum præstat. Fortasse ortum est ex nom. *Marco*. — § 7. Neque parcam verbis « alio quodam modo », post « te autem », quæ incommoda sunt, quoniam genus sapientiæ quod sit in Lælio definitur; hausta sunt ex eadem formula quæ supra legitur; fortasse expulerunt verbum quale *existimant, iudicant*, quod requiritur et cujus additio ἀνακόλουθον tolleret. — Baiter. in ed. Lips. « in reliqua Gr. ». — Idem ibid. « eum *quidem* etiam ». — Uncos quibus Orellius nomen *Scævola* incluserat, post verba : « credo ex hoc item », sustulit Halmius, quod nollem factum. — § 8. Haud puto Tullium scripsisse : « valetudinem respondeo causam » ; præterito, opinor, post *adfuisses* usus esset, et aliud verbum quod lectori intelligendum reliquit, quale *affirmavi*, scripsisset. Omiserat Orellius *respondeo*, quod Halmius imprudenter restituit. — § 9. Idem bene Orellium deseruit legentem : « *qui* mihi tantum tribui dicis », pro codd. lectione *quod*.

III, § 11. Omittam *putabat*, post « quod ille minime » ; scil. *optabat*. — Vix putem latine dici posse « bella delere », quod de Scipione quidem non verum est; legam *demovit*. — Malim « in qua etiam *tunc* erat Scipio », cum Victorio, approbante Halmio, qui tamen non obtemperavit.

IV, § 13. Non intelligo quomodo, tempore Lælii, de magna Græcia dici possit : « quæ nunc quidem *deleta* est, tum florebat » ; suspicor Tullium scripsisse *effeta*, quod melius cum verbo *florebat* convenit. Conf. Cato maj. § 29. — Putsche (in Philol. XII, p. 300) censet legendum esse *cui* (scil. *videtur*), pro vulg. *qui*, post verba « est iudicatus » ; « quæ conjectura, addit Halmius, ita videtur probanda, ut deinde *uti* (*utei*) *plerisque* scribatur ». Equidem non solum libenter suffragor, sed etiam verbum *videtur*, inter *plerisque* et *sed*, excidisse suspicor; quod facile ob compendium solitum hujus verbi fieri potuit. Kayser. velit « sed idem semper *videbatur* ». — § 14. Fortasse Cicero scripsit : « cuius disputationis *fecit* extremum », quo melius Scipionis mentem exprimeret, qui non casu, sed consilio, disputationem de Republica terminavit agendo de immortalitate animorum. — § 16. Verba « cum ex te quæruntur *seu* quæritur », mihi spuria videntur. — Verba « pergratum erit », post « mihi vero », quæ Orellio, Beiero aliisque criticis ex glossemate orta esse videbantur, sustulit Halmius ; non absunt a codicibus, sed vario modo in iis perscripta sunt.

VI, § 20. Non dubium geminæ enunciationis vestigium exhibere mihi videtur ea sententia, in qua hærent editores : « qua quidem haud scio an excepta sapientia nihil quicquam melius sit hominibus a dîs immortalibus datum ». Tullius fere sic prius scripserat : « qua quidem, excepta sapientia,

nihil melius est h. a. d. i. datum ». Deinde oratione mutata, quia supra usus erat forma « nihil aliud nisi », scripsit : « qua quidem haud scio an, excepta sapientia, quicquam melius homini sit datum ». Voc. *nihil*, quod ad priorem enunciationem pertinet, a librariis perperam servatum est. — Codd. optimi habent « homini sit datum » ut ed. Lips. Baiteri. — § 21. Baiter. ex optimis codd. DP omittit *nostræ*, post *vitæ*, in ed. Lips. — § 22. Idem scribit « *qui* esset », pro vulg. « *quis* esset ».

VII, § 23. Optimi codices BGSV habent : « *bonam spem* prælucet »; legitur tamen *bona spe* in codd. non deterioribus DE, quæ lectio idoneum sensum præbet. Ob signum litteræ *m*, seu neglectum, seu omissum, parum valent h. l. codices. Fortasse hic Tullius scripsit *perlucet*, quo verbo sæpius utitur. — Legam, auctore Madvigio : « ex discordiis perspici potest », pro vulg. *percipi*. — Ultima hujus §[i] sententia : « ex quo quantum boni sit in amicitia iudicari potest », mihi scholion videtur redolere. — § 24. Feliciter verborum ordinem « uter esset Orestes » Halmius mutavit, præposito nomine *Orestes* ante *esset*. Vulgatus ordo per homæoteleuton lacunæ, qua plerique codices laborant, originem dedit; itaque *Pylades* evanuit, ante *Orestem*. — § 25. Verbum *est*, seu *st*, excidisse suspicor inter voc. *orationis* et *tuæ;* vix enim suppleri potest seu *expetimus* seu *exspectamus*, quæ in quibusdam codicibus leguntur et glossemata esse videntur; attamen deest verbum cujus *filum* vel nominativus vel accusativus sit.

VIII, § 28. Beier. voc. *virtute*, ante *amabilius*, merito abundare censet. — Legam : « cum caritate aliqua *benevole* memoriam usurpet », pro vulg. *benevola*. Madvig. conjicit *benevolentiæ*.

IX, § 29. Exempla desunt in quibus verbo *arbitrari* jungatur præpositio *in*, cum pron. *se*. Codd DE habent « minimum in se esse », ex quo suspicor *in* ortum esse ex littera *m* præcedente. Quædam editiones habent *nimium* pro *minimum*. — § 31. Fortasse *sit* vel *st*, inter *eius* et *fructus*, excidit, unde additum fuit *inest* in fine sententiæ, quod auri non placet. — § 32. Contra codd. qui habent « ab his », edidit Halm. « at ii » quod jam apud Facciolati, Orellii, etc. edit. legitur. « Ab his » restituit Baiter. in ed. Lips. Si sic legas, legendum infra « longe dissentimus »; sin minus oratio claudicat.

X, § 33. Malim « audite ergo », quam « audite vero »; in talibus parum codicibus fido. — Cum opt. codd. legam *ponerentur*, pro vulg. *dep.* — § 34. Codices habent « *luxuriæ*, seu *luxurie*, seu *luxuria* conditionis », unde Turnebus conjecit *uxoriæ*, quam conjecturam admiserunt posteriores editores; equidem malim legere « *lusoriæ* conditionis », quod melius convenire videtur cum iis quæ subinde leguntur; magis enim cum hodiernis quam cum romanis moribus congruunt verba « uxoriæ conditionis », quæ præterea non facile intelliguntur. — § 35. Tullium scripsisse suspicor « quod *si* qui recusarent »; sic periodus minus impedita videbitur. — Melius respondent

« inveteratas familiaritates » verbis « odia sempiterna » ; pariter dicitur *inveteratus* de bono et de malo.

XI, § 37. Merito, contra Orellii opinionem, Blossio attribuit Halmius totam sententiam : « sed si voluisset paruissem. — Kayser. velit addere verba « cum esset », post « hac amentia » ; equidem secludam voces « hac amentia », quæ scholii speciem habent. — § 38. Halm. Schützium legentem, præeunte Cantero, contra codices : « perfecta quidem sententia si simus », bene secutus est, pro vulg. « sumus si », vel « simus si ».

XII, § 41. Legam cum Klotzio, cui Halmius obtemperavit : « *quocunque* modo potuimus », pro « *quoquo* modo », quæ lectio Car. Langio debetur. Codd. habent « quoque quem modo potuimus », sine sensu.

XIII, § 44. Nonnihil offendit, ob similitudinem §[i] 40, prima hujus §[i] sententia ; itaque legam cum Goerenz. : « *Sit* hæc igitur prima lex amicitiæ, ut ab amicis honesta petamus ». *Sit* omissum est in principio quia legebatur post *hodie*, ubi abesse potest ; eo omisso additum fuit verbum *sanciatur* ex § 40, quod in quibusdam codicibus, secundum Gruterum in Pal. 2, haud invenitur. — Non displicet Clerici conjectura legentis : « consilium vero *dari gaudeamus* libere » ; nam codices fere omnes habent *gaudeamus*, et bene congruunt cum hac legendi ratione verba quæ subjiciuntur. — § 45. Malim : « Iam quibusdam, etc. », pro *Nam*. — Bene restituit *sibi* Halmius, ante « suarum cuique » quod post Ernestium Orellius omiserat. — § 47. Verba « cum aliqua cura » glossematis speciem habent. — § 48. Geminæ enunciationis vestigia latere videntur in ultima cap. XIII sententia : « non plus quam ut virtutes, quia nonnullas curas et molestias adferunt, repudientur », quæ non sine quadam vi cum priori connectitur. Opinor Ciceronem prius scripsisse : « non plus (scil. angor valet) quam curæ valent ut virtutes repudientur », et deinde : « neque ut virtutes, quia nonnullas curas et molestias adferunt, repudientur », sive « *num* plus quam *si* virtutes...... repudientur ? »

XIV. Legam seu : « contrahas amicitiam », seu « contrahatur amicitia » ; vix putem Tullium intelligi voluisse *virtus* post *virtutes* ; præsertim cum addat : « si qua significatio virtutis eluceat ». — § 49. Optimos codd. DMP secutus Baiter. scribit in ed. Lips. *animante*, pro vulg. « animo autem » ; at vix abesse potest *autem*, nec solet uti Tullius voc. *animans* pro voc. *homo*. Fortasse legendum, ex § 55, « *amico* autem ». — § 50. Sequor Halmium legentem « tam illiciat et attrahat », pro vulg. « et tam trahat ». — Vix post *constet* abesse potest verbum *esse*, quod omittunt Halm. et Baiter. ex optimis codd. CMP ; alii codd. id habent post voc. *benevolentiam* ; equidem id ponam inter *bonos* et *quasi*. — § 51. Facile caream voc. *profectum*, ante *iucundum*. — Addam cum Beiero adj. *præditi* post *præsidii*. — Legam *indigent*, cum Baitero, ex cod. M. — Si serves *ne*, ante « opus sit », legendum est : « haud sciam an ne opus sit quidem *non* nihil umquam deesse amicis » ;

si vero omittas *ne*, legendum : « h. s. an opus sit nihil umquam omnino deesse amicis ». Fortasse Tullius hærebat inter alterutram formam; mihi quidem prior magis placet.

XV, § 52. Restituit Baiter. in ed. Lips. *nimirum*, quod omiserat Halm. in ed. Tur. ante « in qua nulla fides ». — § 53. *Exsulantem* glossa videbatur Hottingero; Madvig. velit legere : « ferunt exsulantem, tum, etc. »; equidem hoc part. ponam seu post seu ante *Tarquinium*; sed libentius Hottingerum sequar, quod fecit Baiter. in ed. Lips. — § 54. Secludit Baiter. ex cod. P. verba : « sperni ab iis veteres amicitias, indulgeri novis », quam sententiam desidero, quia cum libri argumento bene convenit. — § 55. Si legas « cum parantur, cui parentur », legendum supra : « cetera parari », « amicos non parari »; equidem malim, cum Orellio : « cum parant, cui parent nesciunt ». Sic scribit Baiter. in ed. Lips. cum codd. MP.

XVI, § 56. Halm. malit *faciat*, post « se ipse », ut § 59, pro vulg. *facit*; non intercedam. — § 57. Baiter. in ed. Lips. omittit *sit*, inter *quisque* et *sic*, et *causa*, ante *amicorum*, monente Beiero; sed legendum *nostri* causa. — § 58 Deleam *nimis*, ante *exigue*, auctore Gernhard. — § 59. Legam cum Cobet. : « ut si aliquando *esses* osurus », pro *esset*. — Deesse videtur oppositionis signum ante adj. *impuri*; olim legebatur « *sed* impuri », quæ particula ab editoribus recentioribus omissa fuit; equidem legam : « *at* impuri cuiusdam aut ambitiosi *et* omnia ad suam potentiam revocantis ». — Cum Gernhardo et Orellio, altero loco, « necesse erit » secludit Baiter. in ed. Lips.

XVII, § 61. Non satis idoneo loco legitur sententia : « Virtus quam sequitur caritas minime repudianda est »; melius, opinor, jungeretur paulo supra cum sententia : « est enim quatenus amicitiæ dari venia possit. » — § 62. Sententia : « sunt igitur firmi et stabiles et constantes eligendi, cuius generis est magna penuria » alienum locum occupavit, et si servetur videtur transferenda, in fine § 64, post verba « pæne divino ». — Legam subinde : « *at* iudicare difficile est...... » — § 63. Omittam verba « sic amicitiis », de quibus codd. dissentiunt, quæ non solum abundant, sed etiam sententiam turbant. Baiter. in ed. Lips. scribit « sic amicitia ».

XVIII, § 65. Abundare mihi videtur verbum *potest* post *fidum*, et facile carebo verbo *est*, post « addendum eodem ». — Orta sunt verba « ab aliquo » ex mutatione part. *illatas* in *adlatas*, quod minus aptum videtur. — Colon : « Semper aliquid existimantem ab amico esse violatum », cum Ruhnkenio et Beiero, ut glossema, merito uncis inclusit Halmius.

XIX, § 67. Levior videtur vox *subdifficilis*, quoniam « indigna homine dubitatio est »; legendum opinor : « haud difficilis ». — § 68. Mirum in modum dissentiunt codices in verbis quæ leguntur ante « in ipso equo » : alii habent « quin et », alii « atqui in », alii « ut in », etc. Facciolati legebat « atque in »; Klotz., quem secutus est Halmius, « quin etiam »; equidem legam « itaque in ipso equo », quia sequitur exemplum quod sententiam

priorem confirmat. Sæpius, opinor, confusæ sunt in codd. conj. *atqui, atque* et *itaque*, quam suspicantur critici; ex gr. de Legg. I, 43, legendum « *itaque*, si natura, etc. » de Orat. II, 204, « *itaque* si ita placet. » Conf. etiam de Rep. VI, 9 seu Somn. Sc. C. I; de Fin. IV, 15, V, 17. — § 70. Deleam *ut*, ante « si parentibus nati sint », quæ particula magis obest quam prodest orationis tum perspicuitati, tum elegantiæ.

XX, § 72. Sententia : « quod non fere contingit nisi iis qui etiam contemnendos se arbitrantur » aliena esse mihi videtur a Ciceronis mente et cuidam lectori severiori tribuenda; etenim iste homines nequam designat qui se proborum virorum existimatione indignos putant : hic autem agitur de modestioribus amicis, qui in familiaritate virorum insignium vivunt, et quos colere et honorare decet; itaque non admittam Halmii correctionem qui addidit *se*, inter *inferiores* et *extollere*. — § 73. Non obsequar Madvigio addenti, ex quibusdam codd. DGE, *neque*, post « non enim ». Fortasse prius scripserat Tullius : « neque enim tu possis, etc. » ; sed mutata sententiæ forma scribere debuit : « non enim tu possis, etc. », omisso *neque*. Tacet Baiterus in ed. Lips. — § 74. Notanda ellipsis verbi *oportet* seu *necesse est*, quæ facile suppleri potest, post adj. *necessarios*. — Post verba « alio quodam modo », addam *diligendi*, quod excidere potuit ob proximitatem verbi *negligendi*. Mommsen. conj. *æstimandi*, ex codd. CMP qui habent « modo est », hunc secutus est Baiter. in ed. Lips. Ed. Veneta anni 1470 habet *colendi*. — Aptiorem locum obtineret sententia : « aliter amicitiæ stabiles permanere non possunt », in fine §[i] 72, post « levandi sunt ». — Legendum opinor : « dispares *autem* mores », pro *enim*. — Malim *discrepantia*, quam *distantia*.

XXI, § 76. Margo Cratandri habet *dirimendis*, pro *dimittendis*, quæ lectio haud spernenda. — § 77. Monente Madvigio, adsentiente Halmio, deleam voc. *auctoritate* post *graviter*, servata particula *et*. Lahmeier. conj. « graviter ac temperate et off. » — § 78. Nonius habet : « oppressæ videantur », omisso *esse*. — § 81. Opinor legendum esse : « quanto id magis in homine fit natura, *quod* et se ipse dili*gat* et alterum anqui*rat* », pro lect. vulg. : *qui* et se ipse dili*git* et alt. anqui*rit* ».

XXIII, § 86. Madvig. (Opusc. II, 285) omittendum censet *quamquam*, puncto posito post *consentiunt ;* equidem legam *quandoquidem*, seu *quoniam*, ante vv. « a multis »; vix enim abesse potest conj. quæ duas sententias nectat.

XXIV, § 88. Legam cum Facciolato et Madvigio, quos sequutus est Halmius, *subeunda*, pro codicum omnium lect. *sublevanda*. — *Veritas* (sic legit Orellius) melius respondet quam *utilitas* scriptoris menti, ut videre est ex iis quæ sequuntur; posterior lectio tamen in plerisque codicibus reperitur, et ab Halmio admissa est. Non repugnem conjicienti : *comitas*.

XXVI, § 97. Sententia : « quamquam ista adsentatio.... se maxime ipse

delectet » aptiorem locum obtinebit, opinor, si ante verba « nulla est igitur hæc amicitia », legatur, § 98.

XXVII, § 100. Restituit Baiter. in ed. Lips. alterum *virtus*, quod legebatur apud Orellium, ex plurimis codd. et quod omiserat Halm. in ed. Tur. ex codd. non paucioribus, nec deterioribus. — Malim « *ductum* est » quam « *dictum* est ». — § 101. Vere, opinor, legere velit Lahmeier : « e nostra ut alia ætas oriatur » ; sic non opus addere « ex alia » cum Orellio, quem sequitur Baiter. in ed. Lips. — § 104. Lambinum legentem *colatis*, pro *locetis*, libenter sequar.

DE OFFICIIS LIBER PRIMUS.

I, § 2. Transferenda mihi videtur, inter verba : « ad iudicandum » et « quam ob rem disces », sententia quæ in fine §i 2 legitur : « Nec vero hoc arroganter dictum existimari velim..... quodam modo vindicare ». Non enim coram filio arrogantiæ crimen Tullius formidare debebat, quod facile intelligitur ex iis quæ mox sequuntur, et iis quæ § 78 leguntur : « Licet enim mihi, Marce fili, apud te gloriari, etc. et § 155 c. XLIV ; sed coram suæ ætatis hominibus id excusare par erat. Præterea, quoniam de doctrina philosophica modeste loquitur, memorat autem quantopere arti dicendi studuerit, confirmat quæ dixit « se magnum attulisse adiumentum », nec arrogantiæ crimen meretur. Denique, verbis sic translatis, facile nectuntur sententiæ : « Sed tamen nostra legens.... legendis nostris pleniorem » et « Quam ob rem magno opere te hortor, etc. » — Verba « quam ob rem » vero videntur aliena ante : « disces tu quidem », et huc irrepserunt ex §o 3, quia sententiam alieno loco scriptam sequebantur.

II, § 6. Auctore Bakio, Baiterus edidit : propter se *ducant* expetendam », pro vulg. *dicant*, quod dant codd. — § 7. Officii definitionem excidisse putat G. Fr. Unger. post verba : « de quo disputetur », quæ sic fere enunciabatur : « Omne igitur quod ratione actum est officium appellamus ». Ungero adhærere videtur Baiterus, qui lacunæ signum posuit; ego vero Tullium opinor officii notionem in quæstionis divisione comprehendisse.

III. H. Muther. legendum esse monuit : « *quæ* autem officiorum præcepta traduntur », pro vulg. *quorum*. (V. Supp. Adnot. p. 742 edit. Baiter.) — § 8. Delendam esse sententiam : « Atque etiam alia divisio est officii.... ratio probabilis reddi possit » censet Ungerus, eamque Baiterus seclusit; mihi autem transferenda videtur paulo supra, inter verba : « quæ sunt ge-

neris eiusdem » et « quorum (*seu potius* quæ) autem offic. »; sic oratio melius procedit. — Omittam voc. *officium*, inter *quoddam* et *dicitur*. — Legendum arbitror : « Perfectum officium recte, opinor, vocemus, quod Græci κατόρθωμα; [hoc autem commune officium vocant] atque *Stoici* sic definiunt ut rectum quod sit, id officium perfectum esse *defendant*; medium autem, etc. » Non assentior Ungero legenti : « hoc autem commune officium vocant medium. Medium autem, etc. » — § 9. Legendum esse « *sufferatque* ancipitem curam cogitandi », pro *adferatque*, Ruhnkenius monuit, quem sequar. — § 10. Addidit merito Baiterus præp. *in*, ante « hac divisione. »

IV, § 11. Idem, monente Manutio, legit *item*, pro *autem*, post *commune*. — Scripsit Baiterus *prægressus*, ex codd. AHab, pro vulg. *progressus*, quod dant etiam codd. Bc; sed monet, in Suppl. Adnot. H. Mutherum legendum esse censere : « progressus et quasi intercessiones ». Equidem malim *prægressus* et *antecessiones*; scripsisset Tullius *intermissiones*. — § 12. Non sine causa Facciolatus verba : « ingeneratque in primis præcipuum quemdam amorem in eos qui procreati sunt » spuria esse censebat, quoniam idem jam antea et deinde dictum est. — § 13. Herm. Saupp. delendum esse censet *præcipienti*, quod Baiter. seclusit; Halmio autem verba « aut docenti » suspecta sunt, cui adsentior. — § 14. Malim jungere verba : « in factis dictisque » cum iis quæ sequuntur : scil. « qui modus », ut legitur apud Orellium aliosque, qui distinguunt post *deceat*. — Legam cum Gernhardo : « tum in omnibus et opinionibus et *dictis*, ne quid lubidinose aut *dicat* aut cogitet », pro *factis* et *faciat*, quoniam de factis jam actum est.

V, § 15. Seclusit voc. *sapientiæ* Gernhardus, post *excitaret*. Legam, cum Ernestio, ut de Fin. II, § 52 : « mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret *sui* », etiamsi illic de sapientia agatur, hic autem de honesto. — Verbum *inest* perperam additum fuisse opinor, inter *ponimus* et verba « indagatio atque inventio veri », quia non videbant intelligendum esse *nascuntur*, quod supra legitur.

VI, § 19. Legam cum Halmio : « fiunt intermissiones », etenim nonnulli codices habent *intermissione*, et signum plur. supra *fit* potuit negligi.

VII, § 21. Libenter sequor Baiterum legendum esse censentem (Suppl. Adnot.) : « *de* quo si quis sibi appetet », pro codd. lectione dubia « e quo ». — § 22. Non omittam verba : « partem parentes », quæ vix abesse possunt, quasi solemnia, ex hac formula, et seu homœoarcto, seu litterarum similitudine excidere potuerunt. Non desunt apud Platonem.

VIII, § 27. Bene tuetur Baiterus (Suppl. Adnot.) lectionem *cogitata*; quam dant codd. fere omnes, et quæ Madvigio suspecta erat.

IX, § 28. Manifesta geminæ enunciationis vestigia apparent, opinor, in loco qui vere criticorum crux appellari potest. Procul dubio Tullius scripserat, seu : « alterum iustitiæ genus sequuntur (ut de Rep. III, § 18, non

assequuntur) inferenda ne cui noceant iniuria, in altero delinquunt, etc. », seu : « alterum iniustitiæ genus effugiunt, inf. n. c. n. inj.; in alterum incidunt, discendi enim studio impediti quos tueri debent deserunt. » Priorem formam prætulit ut cum sententia Platonis melius conveniret. — Præterea perturbatum fuisse sententiarum ordinem suspicor et transponenda esse verba, de quibus agitur, paulo supra, inter voces *patiantur* et *itaque*, legendo *qui* pro *nam*, ante *alterum*, ut infra § 29, seu *dum*, ut volebat Facciolatus. Sic Platonis sententia non disrumpitur; at pro « *itaque* eos » legendum « *atque* eos....... *putat* coactos », pro vulg. *putant*, ut scribit Baiter. — § 30. Legere velim : « est *sane* difficilis cura, etc. », pro vulg. *enim*, quæ conj. hic aliena videbatur Pearcio, qui legebat *quidem*, Ernestio, qui volebat *tamen*. Conf. de Orat., II, 66 : « res sane difficilis ». — Bakius (de Legg. p. 460) per παρένθεσιν dici censet : (« quamquam Terentianus ille Chremes humani nihil a se alienum putat »).

X, § 31. Plerique codd., post verba « reddere depositum », addunt : « etiamne furioso », seu « et non furioso », seu simile quid, ex libro III, § 95, haustum; quod merito ab editoribus omissum est.— Vox *principio* mihi videtur orta esse ex glossemate *principia* vocis *fundamenta*. — Sententia : « Ea cum tempore commutantur, commutatur officium et non semper est idem », elegantiam Tullianam non sapit, et contra scriptoris mentem hic interposita esse mihi videtur. Num dicere potuit Tullius officium commutari? Cæterum ea omissa nihil deest; quoniam in §[i] principio eadem jam rectius et amplius enunciata sunt. — § 32. Malim : « quæ coactus metu, quæ deceptus dolo promiseris »; etenim displicet geminum *quis* diverso sensu in eadem sententia, et legitur supra : « quibus promiseris », « cui promiseris ». — § 33. Verba : « sed malitiosa » insititia Baitero videntur, qui ea seclusit; Facciolatus conjiciebat : « *seu* malitiosa », quod non spernendum. — Ciceronem scripsisse suspicor : « ne adpeterent », quod aliquid addit orationi; *adpetenter* autem, quod raro usurpatur, synonymum videtur abverbii *cupide*.

XI, § 36. Primus Madvigius interpositum fuisse de Popilio locum vidit, et delendum esse censebat usque ad verba : « in bello movendo ». C. F. Ungerus autem tuetur sententiam : « adeo summa erat observatio in bello movendo », cui non adsentior. Könighoff. damnat etiam quæ subjiciuntur usque ad verba : « cum hoste pugnare », ubi tamen Ciceronis manum facile agnoscas. — § 37. Opinor transferendum esse membrum : « cum in Macedonia bello Persico miles esset », post verba « ad M. filium », quia non pars erat epistolæ senis Catonis; hoc membrum spurium visum est Gernhardo, Schützio et Nobbio. — Inseram *ei*, post « negat enim », quod vix abesse potest.

XII. Malim legere : « *quum*, qui proprio nomine, etc. »; etenim *quod* videtur referri ad *illud*, unde aliqua ambiguitas oritur.

XIII, § 40. Jam pridem spurius plerisque criticis visus est locus quo § 40

constat, quia in multis codd. omissus est. Veri similiter aut ab aliquo erudito lectore in margine scriptus est ob argumenti similitudinem, ut supra § 36 locus de Popilio, aut fortasse ab ipso Tullio in priore operis descriptione subjectus, postea deletus est seu neglectus, cum hanc materiam fusius in libro III tractavisset. — Cæterum, pro « culpam *invenerat* », opinor scribendum *invexerat*, scil. Annibali justam inculpandi causam præbuerat. Heller. conj. *leniverat*, Baiter. *minuerat*. — § 41. Nomen *iniustitiæ* spurium mihi videtur; potius enim ex iis quæ subjiciuntur *fraudis* intelligendum est quam *iniustitiæ*. Legam : « Totius autem *malitiæ*, etc. ». — Incisum : « de iustitia satis dictum » manum scholiastæ redolet; nonnihil offendit quoniam paulo ante legitur : « ac de bellicis quidem officiis satis dictum est », et denuo paulo infra de justitia agitur. Codices dissentiunt, alii habent « *ac* de iustitia, etc. », alii addunt *est* post *dictum*.

XIV, § 43. Facile caream hac sententia : « videndum est igitur ut ea liberalitate utamur, quæ prosit amicis, noceat nemini », in qua mihi videor eorum epitomen legere quæ paulo supra, § 42, enunciantur. Præterea disjungit quæ, illa omissa, melius ac facilius necterentur. — § 44. Incisum : « ut benefici videantur » frustra et ineleganter orationem tardat ; videtur esse glossema vocis *ostentatione*. *Videantur* legitur versu proximo.

XV, § 49. Legere velim : « multi enim multa faciunt, temeritate quadam, sine iudicio et modo, vel repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati ». Sic sejungam *multa* a voce *temeritate*; mutem *morbo* quod hic ægre intelligitur, in *modo*; pro *vel*, quod ortum est ex sequenti *vel* et errore lectionis *morbo*, scribam *et*; denique omittam « in omnes » quod mihi videtur glossema verborum « sine iudicio ». Optimus codex c omittit verba : « vel morbo in omnes »; codd. B²Hp habent *modo* pro *morbo*.

XVI, § 51. Verba « e quibus ipsis », post « ut sit constitutum », Facciolato merito spuria videbantur. Gulielmius velit « legibus ipsis », quam correctionem, auctore Madvigio, Baiterus admisit. Equidem malim « a civibus ipsis », et legam *at* pro *ut*, post *communitas*. — Edidit Baiterus « omnium autem communia hominum, etc. » quemadmodum legendum esse censet Lund. Zumptio vero *hominum* videtur abundare. — § 52. Verba « nihilo minus ipsi lucet » mihi videntur subdititia.

XVII, § 54. Desidero pron. *cui*, quod legitur in quibusdam codd., ante « communia omnia », post « una domus ». Fortasse Tullius scripserat *unde*, pro « *deinde* una domus ». — Facciolatus, Gernhard., Schütz. alienas esse a Ciceronis oratione censent has duas sententias : « Id autem est principium urbis et quasi seminarium reipublicæ », et « quæ propagatio et suboles origo est rerum publicarum ». Illas tuentur Heumannus et Beierus, quibus obsequutus est Orellius. Tacet Baiterus. Mihi vero alterutra videtur abundare, nec putem Tullium discrimen fecisse inter *rei publicæ* et *rerum publicarum*, inter *origo* et *seminarium*; itaque posteriorem sententiam deleam

qua series orationis perperam rumpitur. — § 55. Conj. *tamen* merito delendam esse censet Unger. ante « nos movet »; Baiterus illam seclusit. — § 56. Minime spernenda mihi videtur lectio quam servavit Nonius, p. 417 : « efficiturque id quod Pythagoras *ultimum* in amicitia *putavit*, ut unus fiat e pluribus; » pro vulg. « q. P. *vult* in am. ut, etc. ». — 58. Non sine causa suspicatur Facciolatus hanc sententiam: « estque ea iucundissima amicitia, quam similitudo morum coniugavit ». Etenim jam idem dixit Tullius § 56 : « Nihil autem est amabilius, etc. ». Verbum *coniugavit* est ἅπαξ λεγ. apud nostrum, nec bene nectitur sententia cum iis quæ antea leguntur.

XVIII, § 59. Idem Facciolatus primus vidit incisum : « et consuetudo exercitatioque capienda » spurium esse, quippe quod h. l. prorsus alienum, ad periodum proximam pertinet, e regione cujus in margine scriptum erat. Baiter. id seclusit, equidem deleam.

XIX, § 62. Pariter aliena ab oratione mihi videtur sententia : « Nihil enim honestum esse potest quod iustitia vacat », in qua epitomen cerno in margine scriptam. Particula *enim* in plerisque codd. deest; Tullius ipse in principio C. XIX idem dixit, quod iterum legitur in fine § 64 ; denique ea omissa nihil desideres; imo melius inter se cohærent sententiæ. — § 65. Permagna confusio hujus §i finem infecit; etenim non facile intelligas quomodo dici possit de animi magnitudine : « quod principem se esse mavult quam videri »; quomodo dici possit : « in magnis viris non esse habendum eum qui ex errore imperitæ multitudinis pendeat », quum hoc sæpius eveniat; quomodo denique inter se jungantur membra : « qui locus est sane lubricus » et « quod vix invenitur...... desideret gloriam ». Sic mihi membrorum ordo esse restituendus videtur : « Vera autem et sapiens animi magnitudo honestum illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum non in gloria iudicat. Hic in magnis viris non est habendus *qui* principem se esse mavult quam videri; qui locus est sane lubricus, etenim ex errore imperitæ multitudinis pendet. Facillime autem ad res iniustas impellitur, ut quisque altissimo animo est gloriæ cupiditate; quod vix invenitur, qui laboribus susceptis, periculisque aditis non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. »

XX, § 66. Legit Baiterus, monente Madvigio, « cum persuasum est », pro vulg. *sit*. — Omittam verba : « neque homini », quæ h. l. aliena sunt. — Tum vocc. *res*, *rerum*, tum particula *ut* in fine hujus §i frequentius, et sine vera causa leguntur, quod non ex more Tulliano factum est; opinor sic legendum esse : « Altera est, cum ita sis affectus animo, ut supra dixi, res *ut* geras magnas illas quidem et maxime utiles, sed et vehementer arduas plenasque laborum et periculorum, cum vitæ *causa*, tum *eorum* quæ ad vitam pertinent ». Dissentiunt codd. præsertim in clausula ; nomen *causa* quod legitur apud Manutium et vetustas editiones, vix deesse potest, et facile negligi potuit ob compendium. — § 69. Plerique codices habent « voluptate

animi », unde Orellius hauserat « voluptate nimia ». Baiterus scripsit *voluptate;* legendum esse suspicor *alacritate*. Conf. Tusc. IV, 16, 36; V, 16, 48.

XXI, § 73. Tullium scripsisse opinor : « Quocirca non sine causa *quo* maiores motus animorum concitantur maiorque cura efficiendi rempublicam gerentibus [quam quietis], *eo* magis iis et magnitudo est animi adhibenda et vacuitas ab angoribus; » unde elegantior sententia evadit. Verba « quam quietis » addita esse videntur ob particulæ *quo* omissionem; quæ adduxit etiam mutationem particulæ *eo* in *quo*. Num censes Tullium dixisse « maiores motus animorum concitari remp. capessentibus quam quietis » ? — Vide notam ad § 92.

XXII, § 74. Verba : « et cupidi bellorum gerendorum », auctore H. Sauppio, Baiter. seclusit. — § 76. Suspicor latere in verbo *putatur* participium *prolatum*, unde inutilis fit additio participii *partum*, quod conjiciebat Lambinus, seu part. *dilatatum*, quod legitur in quibusdam codd. Usus verbi *putatur* non h. l. legitimus videtur. — Addam *est*, inter *Lacedæmoniis* et *prolatum*.

XXIII, § 79. Transferam, inter *mortui* et *valuit*, verba « M. Catonis ».

XXIV, § 83. Sententiam facile intelliges si omittas nomina *boni* et *mali*, ex quibus oritur aliquid absurdi, et quæ debentur, opinor, male sedulo enarratori. Ea quam dedit Garvius obscuri loci explanatio cum sententiæ tenore non convenit; legitur enim *plus* boni...... *quam*...... mali; non vero *tantum* boni *quantum* mali. — § 84. Legam cum Halmio : « etsi optimum *est* », pro *sit*.

XXV, § 86. Geminæ enunciationis vestigium fortasse h. l. habemus; nam potuit Tullius scribere, seu : « ut, *dum* ea conservet, *quemvis* graviter offendat, etc. » seu : « ut ea conservet *quamvis* graviter offendat, etc. » Si legas *dum* cum *quamvis*, refertur hæc conjunctio ad *graviter*, quod non satisfacit, fitque ambigua sententia. — § 88. Locus Ciceronis ad Fam. III, 10, 10 non facit cum nostro, quoniam illic *gravitas* et *altitudo* animi, nunc autem copulantur *facilitas* et *altitudo*. Conferam potius locum Tusc. IV, 19, 43 : « Virum denique videri negant qui irasci nesciat, eamque quam lenitatem nos dicimus, vitioso *lentitudinis* nomine appellant »; itaque hic legendum esse opinor *lentitudo animi;* verba : « quæ dicitur » indicant hoc nomen ab Tullio usurpari secundum morem eorum qui iracundiam laudant. — Sequutus est Nonium, apud quem legitur : « qui *punitur* aliquem », Baiterus contra codd. qui habent seu *punit* seu *puniet*.

XXVI, § 92. Monuit Facciolatus totum hunc locum : « Illud autem sic est iudicandum..... usque ad verba : « hominum amice », vel ablegandum esse, ut ipsi quidem videtur, vel alio transferendum. Quod monitum hactenus neglectum vel repudiatum, mihi quidem servandum videtur; male enim cum superioribus hic locus congruit, facile autem connectitur cum iis quæ de otiosis et politicis dicuntur, c. XXI, post verba : « præparatio diligens »,

§ 73 in fine, ubi inseram quoque ultimam § 91 sententiam : « Sed hæc quidem hactenus ». — Vidit Ungerus transponendum esse colon quod legitur vulgo post *præbeat :* deinde augeatur ratione, diligentia, parsimonia », post verba : « neque odioso » ; cui merito obsequutus est Baiterus, conferri monens II, 87, in Suppl. Adn. p. 742. — Fortasse legi possit : « *iuri* hominum amice », pro *vere* codd. lectione, *vitæ* editorum. Heine dubitanter conjicit *generi*.

XXVIII, § 97. Geminam elaborationem sententiæ hic deprehendere facile est; prius Tullius scripserat : « *Sic* poetæ, quid quemque deceat ex persona iudicabunt, nobis autem personam imposuit ipsa natura ». Postea sententiam accuratius et plenius enarravit ut legitur § 98. Jam Facciolatus sententiæ partem « magna cum excellentia præstantiaque animantium reliquarum » ex § 96 haustam esse suspicatus erat, et genitivum casum duriusculum existimabat. — § 99. Deleam cum Lambino « adversus homines »; sumptum ex § priori. — § 100. Legam cum quibusdam codd. et egregiis criticis *assequemurque,* cujus duæ primæ litteræ evanuerunt, in permultis codd., ob terminationem *us* vocis prioris. *Sequemur* jam legitur initio sententiæ.

XXVIII-XXIX, § 101. Locum : « Ita fit ut ratio præsit...... descriptio officii », auctore Facciolato Baiterus merito seclusit; cui emblemati diutius editores pepercerunt. Conf. de Finib. III, § 58.

XXIX, § 104. Sic restituendum esse locum corruptum Madvigius opinatur : « Si tempore fit *aut* si remisso animo, *magno* homine dignus » ; addita voce *magno* quæ in codd. non legitur; Madvigium sequutus est Baiterus; at monet in Suppl. Adn. p. 742, Maur. Seyffert. nuperrime similem admodum emendationem protulisse; sed malle *et*, pro *aut*, et *maximo*, pro *magno*. Alii alia ; equidem minus a codicum lectione discedam, nulla voce addita, legens : « si tempore fit *et* si *remisse, maximo* homine dignus »; etenim facile legi potuit *animo* pro *maximo*, et *remisse* idem valet quod *urbane, leniter*. — Codicum lectionem merito restituit Baiterus legens : « si rerum turpitudini adhibetur verborum obscenitas ». — Fortasse Tullius scripsit : « ut ne *mimi somnia* profundamus », pro vulg. « nimis omnia » ; nonnulli codd. dant « mimis omnia ».

XXX, § 108. Vide infra § 109, de loco sententiæ ubi agitur de Xenocrate. — § 109. Cum Pearcio edidit Baiterus : « aliquem, quamvis, etc. », pro codd. lectione « alium quemque, quamvis, etc. » — Auctore Heumanno seclusit Baiterus verba : « ne Xenocratem quidem severissimum philosophorum », et monet ea quæ sequuntur : « ob eamque rem ipsam magnum et clarum fuisse » ab Orellio interpolatori attributa fuisse. Enimvero aliena videtur græci philosophi inter senatores romanos mentio; sed suum locum obtinebit, ni fallor, § 108, ante verba : « callidum Hannibalem », ejus formam prioribus leviter sic accommodando : « *itemque* Xenocratem sev. phil., ob

eam rem ipsam magnum et clarum fuisse ». Sic tamen deberi potest cuidam erudito lectori.

XXXI, § 110. Spuria mihi videntur verba : « id est adversante et repugnante natura », quoniam jam supra res explanata est. — § 111. Inseruit, monente Lambino, Baiterus partic. *cum*, ante verba « universæ vitæ », quæ deest in codd. — Scripsit idem « innatus est nobis », pro vulg. *notus* seu *natus*. — § 112. Seclusit idem, ex auctoritate codicis a, verba « in eadem causa » ; codd. ABHb autem omittunt totum incisum : « alius in eadem causa non debeat », fortasse ob homœoteleuton. — § 113. Desunt in optimis codd. ABHab verba « et iucundum », quæ Baiter. merito seclusit. — Pro « esse se », simpliciter *sese* vel *se* idem scribendum censet in Suppl. Adn.

XXXII, § 115. Auctore Ungero, edidit Baiterus *nobilitas*, pro vulg. *nobilitates*; codd. habent *nobilitatem*. — § 118. Legam cum Nonio : « ad eorum consuetudinem *moresque* deducimur », pro vulg. *morem*. — Legam cum Stuerenburg. et Unger. « *sine* parentium disciplina », pro *sive*, ob particulam *tamen*.

XXXIII, § 121. Ambiguitate laborat incisum : « ut quædam imitari possint », quod sic apud omnes codd. legitur, quoniam nescias quale sit verbi *possint* subjectum; itaque, auctore J. M. Heusingero, mutatum fuit in *possit*, scil. *natura*. Equidem hoc incisum cuidam scholiastæ tribuam, qui orationem complere voluit, et malim ἀναχόλουθον sumere, quo adsumpto, oratio paulo infra repetitur : « si igitur non poterit, etc. » ; sin autem incisum serves, minus excusari poterit oratio suspensa.

XXXIV, § 122. Monente Stuerenburgio, edidit Baiterus : « Si *ne* in eiusmodi quidem rebus maiores natu *nolent* interesse ». Codd. plerique omittunt *ne* et habent *nolint* ; alii, quos secutus est Orellius, dant *volent*. Fortasse Tullius scripsit : « si in eiusmodi quidem rebus maiores natu *solent* interesse ». — § 124. Seclusit Baiterus verba « de civium », quod fecisse dicit auctore Hieron. Wolfio ; Orellius autem scribit hunc criticum delere vv. « de privatorum ». Uter lapsus est ?

XXXV, § 126. Verba « formositate, ordine, ornatu ad actionem apto » mihi videntur aliena ab Tullii mente, qui minus distincte decori conditiones enarrare volebat ; præterea orationem graviter impediunt et sine perspicuitatis damno omitti possunt. Vox *formositas* non alibi legitur apud Ciceronem, sed ab Apuleio usurpatur, Metam. l. IX ; melius scripsisset scholiasta « verecundia, ornatu, ordine ad actionem apto ». Priscum sane ἔμβλημα, quoniam citatur ab Ambrosio, de Off. I, c. 19. — § 127. Verba « rerum illarum », inter *actio* et *aperta*, glossema sapiunt.

XXXVII, § 132. Fortasse sententia : « rhetorum turba referta omnia » post verbum *magistri* transferenda est. — § 133. Geminæ enunciationis vestigia deprehendere mihi videor h. l. ubi critici hærent. Tullium prius scripsisse suspicor : « Nihil aliud fuit in Catulis, ut eos exquisito iudicio putares uti

litterarum, nisi quod optime lingua latina utebantur »; postea vero pleniorem sententiam sic expressisse : « Nihil fuit in Catulis, ut eos exquisito iudicio putares uti litterarum ; quamquam erant litterati, sed *ut* alii ; ii autem optime uti lingua latina puta*bantur* ». Tacet Baiterus.

XXXVIII, § 137. Prorsus omittam *id*, inter *ipsius* et *causa*, quod seclusit Baiterus, quoniam supra legitur « illud ipsum ». — § 140. Idem dico de voc. *imitati*, post *magnificentiam*, quod grammatici supplementum videtur. — § 141. Epitome, qua constat hic §, suspecta Facciolato visa est, licet ab hoc loco non aliena sit. Fortasse superioris §[i] clausula : « Sed hæc hactenus » per errorem, post « transferenda est », scripta fuit, et aptiorem locum post « obtemperare rationi » obtineret. — Incisum « ut caveamus » non sine causa Ernestio spurium videbatur.

XL, § 142. Suspicor legendum *atqui*, pro *itaque*; vel omittenda est particula *sic*, ante *definitur*. — § 144. Malim : « *Atqui* hoc idem Sophocles, etc. », pro *atque*.

XLI, § 146. Legitur in codd. *animadversoresque*, quod lacunam prodit ; alii legunt *iudices* inter *diligentes* et *esse;* Klotz. conjicit *spectatores* post *volumus* addendum esse ; equidem malim *æstimatores*. — § 149. Particulæ « sic ut » desunt in omnibus fere codicibus, etiam optimis ; legitur apud Nonium, p. 519, s. « si quos aliquo », p. 359 « sic ut aliquo » ; unde conjicias verba : « sic ut aliquo honore aut imperio affectos » explanandi causa in margine scripta, per errorem in orationem irrepsisse ; etenim facile abesse possunt, nam agitur paulo infra de magistratibus.

XLII, § 151. Monuit Lund. præp. *in* deesse in prima hujus §[i] sententia, ex usu constanti Ciceronis ; illam in principio addebat, Baiterus malit legere : « quibus autem in artibus, etc. », cui obsequar.

XLIII, § 153. Plene interpungebat Orellius post verba « confirmari potest » ; minorem distinctionem Baiterus merito prætulit. — Idem, auctore Lambino, contra codices omisit *quamvis*; inter *copiis* et *omnia;* quæ conjunctio veri similiter a quodam scholiasta in margine scripta, ut indicaret quo sensu intelligenda sit conj. *si* ante *contigerit*, alieno loco inserta fuit. — Verba « deorum et », quæ spuria esse vidit Gernhard. seclusit Baiterus ; equidem deleam. — Car. Scheibe monuit transferendam esse, post *contemplatioque*, vocem *rerum*, quæ perperam legitur, post verba « nulla actio ». — Legitur apud Baiterum, errore operarum : « ergo hæc cognitio anteponenda est », pro *cognitioni*. Mihi autem hæc conclusio, omnino supervacua et incommoda, ex scriptoris manu fluxisse non videtur, qui §§ 155 et 157 plenius idem expressit.

XLIV, § 157. Facciolatus monuit hanc apium cum hominibus comparationem alieno loco positam esse, et censuit aptius legi ante verba : « nec verum est ». Equidem opinor inserendam esse post verba : « tum audire tum dicere », § 158. — Suspicor legendum esse « *fingendi* cogitandique

solertiam », pro vulg. *agendi*; sic melior fit comparatio. Conf. N. D. III, 18, 47; T. D. V, 24, 68. — Malim legere *effingat* seu *affingat*, nam si *attingatur* tantummodo *cognitio*, non melior fiet quam *solivaga* et *ieiuna*. — § 158. Halmius legendum esse conjicit *institutam*, pro *initam*; codd BHab habent *istam*. — Guilielmus censet delendum esse *officio*, post *illi*, quod glossema sapit.

XLV, § 160. Legam : « *Ut* enim cognitionem prudentiamque *sequitur* considerata actio, ita fit, etc. ».

LIBER SECUNDUS.

I, § 1. Sententiam : « In quo tum quæri dixi quid utile, quid inutile, tum ex utilibus quid utilius aut quid maxime utile » delendam esse viderunt S. R. Heumannus et Facciolatus. Eam seclusit Baiterus, ut jam Orellius. Si quis velit eam servare, transferenda est post verba « libro superiore », ad quæ manifeste refertur. Vide autem quæ notavimus ad § 18. — Adsentior J. J. Hottingero legendum esse opinanti : « de instituto atque studio meo », pro vulg. « ac de iudicio ». Conf. § 4. — § 4. Bakius (de Legg. p. 292) censet legendum esse : « *ex* amicorum et rei publ. temporibus ». — § 5. Nomen *philosophis* mihi videtur abundare, post *veteribus*. — § 7. Opinor legendum, ut legitur apud optimos codd. *precipi*, scil. *præcipi*, pro vulg. *percipi*, quæ lectio non satis valet ad opinionem Academicorum explanandam, ut sensit Facciolatus, nec cum scriptoris mente congruit qui paulo infra utitur voce *præcepta*, et formula « vivendi ratione sublata ».

III, § 9. Merito seclusit Baiterus voc. *verbo*, post « in quo », quod a cod. p abest et contra scriptoris mentem additum fuit. — § 10. Displicent tria adverbia sic sibi succedentia, et malim : « philosophi *severi* sane atque *honesti*; quoniam autem de *duabus* notionibus agitur, non de *tribus*, suspicor Tullium scripsisse : « hæc *trita*, genere confusa, cogitatione distinguunt ». — Nec voc. *spem*, nec voc. *speciem*, scriptoris mentem referunt; Tullium scripsisse suspicor : « ad eam *sententiam* traducenda ». Frequens vocis *sententia* compendium errorem facile genuit. — § 11. Voc. *apes* Facciolato suspectum seclusit Baiterus; quod ego deleam. — § 15. Sequutus est merito Baiterus Gernhardum et Beierum legentes : « *Qui* enim ægris subvenire*tur* », pro codd. lect. « Qui, *seu* Quis, *seu* Quid...... subveniret? »

V, § 17. Seclusit idem, ex auct. opt. codd. BHab, verba « usu et », ante

tractatione. — Lund., auctore Madvigio, legit : « morum præstantia ac virtute », pro lect. vulg. « virorum præstantium sapientia et virtute », quæ legitur apud Baiterum, qui merito codices suos sequutus est. — § 18. Totum hunc locum : « Etenim virtus omnis........ quantum æquitas humanitasque patitur » insititium esse monuit Facciolatus; cui assensi sunt J. M. Heusingerus, Beierus et alii. Sane si abesset, nemo h. l. eum desideraret. Fortasse hæc epitome, quæ nostri scriptoris manu videtur confecta, idoneum locum obtineret in principio hujus libri, post verba « libro superiore ».

VI, § 19. Lactantium sequar legentem : « magnam esse fortunæ vim in utramque partem »; omissis verbis : « vel secundas ad res vel adversas », quæ ex glossemate orta sunt, quod patet ex iis quæ subjiciuntur : « Nam et cum prospero flatu, etc. ».

VII, § 23. Opinor legendum cum Pearcio : « quem armis oppressa *non* pertulit civitas, *at* paret cum maxime mortuo ». Conf. Epist. Fam. XII, 1. « An quod ei mortuo paret, quem vivum ferre non poterat? » — Inclusit Orellius adj. *talem*, post *interitum*; equidem includam *interitum*, quæ vox facile abesse potest.

VIII, § 28. Omittam *ex*, ante *transalpinis*, seu legam, ut Phil. VIII, 6, 18, *gentibus*, pro *bellis*. — Legitur apud Nonium : « nisi enim multorum *impunitates* scelera tulissem », quæ lectio non spernenda, si omittas *scelera*; sic Tullius, pro Milone, XXXI, 84 : « quem si vicisset, habiturus esset impunitatem et licentiam sempiternam ». — § 29. Cum quibusdam criticis malim : « quid debent putare *singulis* », quod respondeat « populo romano ». Cod. p habet « quid debetur putare singulis ». — § 30. Opinor legendum esse : « ad cuiusque vitæ institutum accommodandum est ». Conf. de Fin. IV, § 40. — Codd. habent : « eaque utrisque est propemodum comparanda ». Lund. conj. « æque utrisque, etc. ». Bezzenberger. : « eaque æque utrisque, etc. »; secundum Madvigium et Stuerenburg. sensus est : « hæc una res prorsus comparanda est et propemodum æque utrisque »; mihi autem displicent advv. *prorsus, æque, propemodum* sic conjuncta cum *utrisque*; nec bene disjungitur colon « ut non multum differat inter summos et mediocres viros » ab iis quæ præcedunt « hæc enim est una res prorsus »; malim legere : *itaque* utrisque est propemodum comparanda ».

IX, § 31. Verba : « qui inscribitur Lælius » quæ spuria esse vidit Gulielmius, Baiterus inclusit. — §§ 31-32 J. J. Hottingerum sequor qui hunc locum turpi confusione laborantem jam pridem restituit, de quo nuper egerunt, non pari cum fructu, Herm. Sauppe, Bake et alii. Sic legendum esse monuit J. J. Hottinger. (in vers. german. ed. 2ª, p. 308 et s.) : « Summa igitur et perfecta gloria constat ex tribus his : si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore dignos putat. Hæc autem, si est simpliciter breviterque dicendum, quibus rebus pariuntur a singulis, eisdem fere a multitudine ; quæ quidem capitur beneficiis maxime. Secundo autem

loco benefica voluntate movetur, etiamsi res forte non suppetit. Sed est alius quoque quidam aditus ad multitudinem, ut in universorum animos tamquam influere possimus. Ac primum de illis tribus, quæ ante dixi, videamus: vehementer amor multitudinis commovetur ipsa fama et opinione liberalitatis, etc. ». Vidit J. J. Hottingerus non disjungenda esse verba : « quæ quidem capitur beneficiis maxime », a voce *multitudine ;* verba « benevolentiæ præcepta » non modo supervacua, sed prorsus aliena esse ; vocem *benevolentia* ante *movetur* glossematis causa additam esse ; denique jungendum esse verbum *videamus* cum reliqua periodo : « vehementer amor multitudinis, etc. ». Etenim recenset Tullius ordine dato : 1° amorem, 2° § 33, fidem, 3° § 36, admirationem cum honore ; postremo, § 39, dicit qui sit alius ille aditus ad multitudinem. Breviter prius indicavit quibus modis quæ pariuntur a singulis, pariuntur etiam a multitudine : 1° beneficiis, 2° benefica voluntate, etiamsi res non suppetit. — Baiterus, auctore Herm. Sauppio, seclusit verba : « voluntate benefica benevolentia movetur ». — § 32. Omittam *quia,* ante « per se nobis placet », quæ conjunctio tum perspicuitati, tum sententiæ seriei obest. — § 33. Facciolatus et Pearcius delenda esse censent verba « et fidis » ; ea Baiterus seclusit. — § 34. Satis manifestum, opinor, hic habemus geminæ enunciationis vestigium ; etenim mera tautologia hic § laborat, quod contra scriptoris mentem sine dubio evenit. Prius scripserat : « Quamobrem intelligentiæ........ nihil valebit prudentia » ; postea autem hanc sententiam ampliorem planioremque effecit scribendo : « Harum igitur duarum........ opinione probitatis », in qua prioris enunciationis elementa omnia reperias, quæ admodum friget si cum superiore componatur ; quod non senserunt librarii qui utramque religiose transscripserunt.

X, § 36. Legam : « non *vero* omnes eos contemnunt, etc. », pro « non *enim,* etc. ». — Malim cum Wyttenbachio et Heinio legere *maleficos,* pro *maledicos,* quod dant codd. — § 37. Merito sequutus est Lambinum Baiterus legentem : « admiratione *adficiunt* », pro vulg. *adficiuntur.* — Legam, ut velit Orellius : « maiorem partem animos » ; etenim nec « maioris partis animos », ut edidit Baiterus, nec « maiores partes animi », sensum perspicuum præstant ; verba autem : « maiorem partem » adverbii more posita non raro apud nostrum leguntur. — Loci communis in margine scripti speciem referunt verba : « vita, mors, divitiæ, paupertas omnes homines vehementissime permovent », nec cum scriptoris mente h. l. conveniunt ; quod patet ex formula « in utramque partem », quæ ad priorem sententiam pertinet, ubi de voluptatibus et doloribus agitur.

XI, § 39. Quoniam legitur *feras,* nihil obstat quominus legatur supra *habeas* et *possis,* ut volebant Grævius, Facciolatus, Ernestius ; etenim *habeat* et *possit* subjecto carent. — Fortasse legendum : « eam *qui* non habebunt », pro vulg. « eam *si* n. h. ». — Auctore Facciolato, seclusit Baiterus verba :

« iniusti habebuntur ». — § 40. Malim : « aut interficietur aut relinquetur ». — Seclusit Baiterus vocem *latro*, post *Illyrius*, non sine causa.

XII, § 43. Legendum esse opinor : « *Quam* præclare Socrates, etc. », pro vulg. *quamquam* ; quoniam nulla oppositionis seu moderationis species inter hanc et priorem sententiam apparet. Itaque legam subinde : « *quare* si qui simulatione, etc. », pro vulg. « *quod* si qui, etc. ».

XIII, § 45. Operarum vitio legitur « *quarum* autem », pro « *quorum* autem ». — Seclusit cum Grævio, probante Madvigio, Baiterus voc. *alteri*, post *alæ* ; quæ interpolatio vero similiter debetur vocabulo *altera* superioris sententiæ inter versus scripto et perperam posito, mutata terminatione. — § 47. Tullium scripsisse suspicor : « *Iam* L. quidem Crassus », pro vulg. *Nam*. — Ruhnkenius (ad Rutil. p. 108) incisum « ut de Demosthene accepimus » transferendum esse monuit inter verba « ea ætate » et « L. Crassus ostendit » ; equidem malim omittere verba « ea ætate », quibus facile sententia sine damno carere potest, quoniam legitur supra « qua ætate ».

XIV, § 48. Utrumque fortasse Tullius ipse scripserat : « militesque blando sermone deleniant » seu : « m. blande appellando deleniant », sed alterutrum eligendum, quod fecit Baiter. qui posterius edidit. — Malim legere : « *eam* sæpe universam excitat ». — Opinor inserendum esse pron. *se*, vel ante vel post *intelligere*, quod jam Garvius viderat, repugnante J. J. Hottingero. Etenim dixit Tullius oratione multitudinem universam excitari; postquam vero significavit copiose sapienterque dicentis admirationem, addit : « quem qui audiunt intelligere *etiam*, etc. ». Quid autem admirationem movet, nisi eloquentia, scilicet ars copiose sapienterque dicendi? necesse est igitur novam notionem adjungi ; quæ notio inest in opinione quam excipiunt auditores se ab oratore illustrari et edoceri, plus quam qui eum non audiunt ; facilius autem opponas auditores iis qui non audiunt, quam oratorem ceteris hominibus.

XV, § 53. Bake (Mnemos. IX, p. 206) delenda esse censet verba *quod* et *dixit*, in sententia : « quod largitionem corruptelam dixit esse ». Si libet. — § 54. Omittam voc. *bonis*, post *alienis*, ut cod. Bern. a, et jam Manutius ; etenim major est vis voc. *alienis* sine substantivo.

XVI, § 56. Alieno prorsus loco legitur sententia : « Mihi autem ille fructus liberalitatis, cuius pauca exempla posui, multo et maior videtur et certior ». Etenim Tullius Theophrasti sententiæ, non suam, sed Aristonis Cei opponit ; legitimum, opinor, locum obtinebit Tullii sententia, si paulo infra, § 57, post verba : « probari posse nullo modo », legatur, ubi bene quæ subjiciuntur « Quamquam intelligo, etc. » præparat. — Omittam verba *auditu* et *nobis*, quæ in aliquot codd. desunt, et abesse possunt, ut jam monuerunt recentiores critici. — Lacunam indicavit Lund., inter verba « exiguumque tempus » et « eaque a levissimo quoque » ; Beierus suspicatur excidisse *capiatur* ; equidem opinor incisum « eaque a lev. q. » alieno loco positum

esse, et jungenda esse verba « in quo tamen ipso » cum vv. « breve exiguumque tempus » ; transferam vero incisum sic mutatum : « *id est* levissimo *cuique* », post verba « simillimis liberis », ut respondeat inciso « gravi vero homini ». Præterea cum Orellio, inseram *sit*, inter *multitudinis* et *ad*.

XVII, § 60. Malim : « *atqui* etiam illæ impensæ meliores », pro vulg. *atque*.

XVIII, § 62. Fortasse legendum : « non *modo ut* ne adfligantur, sed ut altiorem gradum ascendant, restricti omnino esse *non* debemus » sic *modo* verum locum obtinebit, quoniam vix conjungi possunt *omnino* et *nullo modo* ; *ut* ante « *ne* adfl. » mihi servandum videtur, ob posterius *ut* ante *altiorem*. — § 64. Seclusit Baiterus *Athenis*, monente Heinio ; *Laciadas*, auctore Van den Es.

XIX, § 66. Merito sequutus est idem Lambinum, qui voc. *gravior* spurium esse censebat.

XXI, § 72. Non facile connectuntur vv. « nec minus » cum *omnino* ; itaque Tullium scripsisse suspicor : « *sin* minus, ut *saltem* singulis consulatur », pro vulg. *etiam*. Sic paulo infra § 74, legitur : « Danda etiam opera est...... *sin* quæ necessitas, etc. ». — § 74. Restituit Baiterus lectionem *alii*, post « malo enim », quæ debetur optimo codici a ; legitur *aliene* in cod. c ; omittitur apud BHbp, quos sequutus erat Orellius. — Plerique codd. iidemque optimi habent *tamen*, pro *tantum* quod legitur apud Orellium et plerosque editt., inter *neque* et *de nostra*. Codd. optimis obsequutus est Baiterus. — § 75. Voc. *roboris* omittunt codd. optimi cp post verba « tantum fuit ». — Delendum esse monuit Bakius (Schol. Hyp. IV, p. 196) nomen *Italicum*, quod seclusit Baiterus.

XXII, § 76. Cum J. F. Heusingero seclusit idem v. *est* post *potitus*. — Suspicatur Baiterus verbum *intulit* seu *detulit* (variant enim codd. et de lectione et de loco verbi) grammatici alicujus supplementum esse. Intelligendum *invexit* quod paulo supra legitur. — § 78. Desunt seu rarissima sunt exempla quibus muniatur usus pronominis *se* cum verbo *velle*, sine infinitivo adjuncto, quale *esse*, *videri*, *haberi* (Conf. I, §§ 65, 113 ; III, §§ 17, 71) ; itaque legam, vel contra codices : « qui vero se populares *esse* volunt ».

XXIII, § 80. Codd. optimi habent : « profectæ manarunt » ; Lambinus legebat *profecta* ; Baiterus scripsit : « profecta emanarunt ». — § 82. Legam cum Wyttenbachio : « *itaque* celeriter », vel potius cum Gernhardo « *atque* celeriter », pro vulg. lect. *isque*, quam tuetur Orellius loco Epist. ad Div. III, 7, 4, « Quum puer tuus....... venisset, isque...... nuntiasset », qui locus non facit, quoniam illic ambo verba similem habent formam, hic non item. — § 83. Multo aptiorem, opinor, locum obtineret sententia : « At ille Græcus...... eadem continere », si ante verba « Quam ob rem ne sit æs » § 84 C. XXIV, transferatur. Sic non divelles quæ de proscriptionibus romanis dicuntur ; oppositio inter Arati æquitatem et tabularum novarum iniqui-

tatem melius apparebit; denique formula « at ille Græcus » a verbis « O virum magnum » longiori intervallo separatur, quod minus offendit.

XXIV, § 84. Sequar optimum cod. a in quo legitur, post « caveri potest », « non *sic* », sed omittam verbum *fuerit*, quod ortum est ex mutatione adv. *sic* in conj. *si*. — Addidit Baiterus litteris obliquis verba : « cum ipsius interérat, tum » quæ in codd. cp leguntur post *cogitarat*, omittuntur in reliquis. Facile quidem intelligi possunt; speciem tamen interpositionis non habent. — Auctore Bakio, idem seclusit verbum *peccare*, post *delectaret*, quod revera abundat. — § 86. Heinius delenda censet verba : « prætermittendis voluptatibus », quæ glossematis speciem habent, ea noster seclusit. — § 87. Vide infra § 90.

XXV, § 88. Adsentior Ungero monenti delenda esse verba : « et externa cum corporis », et illa « cum corporis externa hoc modo, dives esse potius quam maximis corporis viribus »; quæ orationem turbant. Ungerum sequutus est Baiterus. — § 90. Eidem obtemperavit noster transponenti, post *convertimus* § 87, totum hunc locum qui legitur § 90 ante « reliqua deinceps persequamur » : « Sed toto hoc de genere...... de qua hoc libro disputatum est ». Cujus transpositionis causæ neminem fugiunt; neque rara sunt exempla similis perturbationis in his præsertim Officiorum libris quos ad unguem dolare Tullius non potuit, et librariorum negligentia multis nævis infecit.

LIBER TERTIUS.

I, § 1. Optimos codd. suos sequutus est Baiterus qui habent : « *ita* duæ res », pro vulg. *itaque*. — § 2. Voc. *otium* mihi videtur abundare, post « nostrum autem ». — § 3. Si legas : « *itaque* qui, etc. » servandum est *vixerimus*; sin autem malis, quod mihi satius videtur, « ita qui », legendum *viximus*. In priore casu consequentiam, in altero factum habes. — § 4. Fortasse scripserat Tullius : « Quamquam Africanus maiorem laudem *me meo studio* assequebatur », pro vulg. « meo iudicio »; sic melius intelligitur conj. *enim*, post *nulla*, pro qua legitur in nonnullis codd. *tamen*. Quidam autem codd. dant « me vel meo iudicio ».

II, § 10. Seclusit Baiterus verba « et non perfecisset », quæ merito spuria visa sunt Mureto, Heumanno aliisque. — § 13. Lacunæ signum ponam post « ita legere », et supplendum esse opinor « par esse ». — Exempla vix reperias in quibus connectantur sine copula « perfectum honestum »; itaque

Lambinum et Manutium sequar *perfectum* omittentes — § 15. Merito edidit cum multis codd. Baiterus : « qui *quidem*, quid », pro vulg. « qui *iidem* quid, etc. ». Madvig. delebat *iidem*.

IV, § 16. Verba « aut Aristides », auctore J. M. Heusingero, seclusit Baiterus ; desumpta videntur, ut monet noster (in Suppl. Adnot. p. 742) ex iis quæ dicta sunt § 87 : « Fabricio qui talis in hac urbe qualis Aristides Athenis fuit ». Illa interpolatio tamen apud Lactantium, Inst. div. VI, 6, jam legitur. Non vero spernenda videtur Gernhardi conj. legentis : « *ut* Aristides ». — Addidit verb. *sunt*, ante *habiti*, Baiterus quod perperam in codd. omnibus deest. — Errore operarum, legitur apud Baiterum *meliorum* pro *mediorum*. — § 19. Dant omnes codd. « Immo vero honestas utilitatem secuta est », quod contra scriptoris mentem esse apparet. Orellius edidit : « Immo vero honestatem utilitas consecuta est ». Baiterus scripsit : « Immo vero honestas utilitatem : honestatem utilitas secuta est ». Ungerus sequens Ambrosium de Off. cler. III, 9, 60 : « I. v. h. u. et utilitas honestatem secuta est ». Equidem malim ex § 90 legere : « Immo vero ; *sed* honestatem utilitas secuta est ». Glossema verborum « immo vero » omissionem conclusionis adduxit. — § 20. Restituit merito Baiterus incisum « qui Academici », post « iidem erant », quod omiserat Orellius.

V, § 23. Baiterus, auctore Madvigio, scribit cum codd. : « *id est* iure gentium » ; Orellius autem, auctore Beiero, ediderat « et iure gentium ». — § 24. Fortasse legendum « quam *vitia* », pro « quam *vita* », scil. vitia contraria justitiæ, liberalitati, etc. — Ultimam hujus §i sententiam : « Detrahere autem...... generis eiusdem », e §o 21 haustam, jam Grutero et Facciolato suspectam, nunc demum Baiterus seclusit. Fortasse Tullius hanc sententiam paulo supra, § 23, post « sibi adsumat », prius scripserat eamque brevitatis causa, ne his iisdem fere vere verbis idem diceret, supplevit ope παρενθεσέως : « omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent vivere ». — §§ 25-26. Sententia : « Ex quo efficitur hominem naturæ obedientem homini nocere non posse », qua Tullius hujus propositi demonstrationem concludit, alieno loco posita est ; etenim ante alterum hujus demonstrationis argumentum legitur, scil. « Deinde qui alterum violat........ gravius existimat ». Suum ergo locum obtinebit si post verba « gravius existimat » legatur. — § 26. Legam cum Madvigio (ad Cic. de Fin. p. 471) *cuipiam*, pro *cuiquam*, ante *iniuriam*.

VI, § 28. Hic denuo perperam inculcata eadem sententia paulum immutata, quæ supra legitur § 21 et 24, criticorum suspiciones movit et plurimis explanationibus ansam dedit. Hæc verba aliena esse ab nostri oratione jam apparebat, tum ex juncturæ difficultate, tum obscuritate incisi « quæ vacent iniustitia » ; tum ex iteratione sententiæ jam bis emissæ, quæ ad societatem generis humani, cujus conditiones modo enunciatæ sunt, non pertinet. Itaque Ciceronem scripsisse opinor : « cuius societatis artissimum vinculum est *ius-*

tilia. Hæc enim una virtus omnium est domina et regina virtutum » ; omissis verbis : « magis arbitrari esse contra naturam..... quæ vacent iniustitia ». — § 29. Locum : « Minime vero. Non enim mihi est vita mea utilior quam animi talis adfectio, neminem ut violem commodi mei gratia », quia repugnat iis quæ § 30 dicuntur, Ungero auctore, Baiterus seclusit. Hujus autem interpolationis auctor idem mihi videtur esse cui debetur ea quam § 28 significavimus : in utroque loco loquitur iste interpres de animi seu incommodis seu adfectione, de quibus tacet Tullius, qui cæterum, in iis quæ subjiciuntur, non ita severe justitiam tuetur. — § 32. Malim legere cum Vincentio Bellovacensi : « Si et ipsa *languere* et tamquam spiritu carere cœperint, *ne noceant,* etc. », pro vulg. *sanguine, et nocent.* — Vox *corporis* videtur abundare, post « reliquis partibus », et fortasse originem dedit nonnullorum codicum lectioni « humanitate corporis » proximi versus unde sumere licet *humanitate,* omissa etiam voce *corporis ;* quod melius cum usu Tulliano convenit, ut jam id viderunt critici. — Post verba « segreganda est », inseram sententiam : « Quid enim interest, utrum ex homine se convertat quis in belluam, an hominis figura immanitatem gerat belluæ ». Vide notam ad § 82.

VII, § 33. Ungerus merito monet (Philologus. dritt. Supplementband, p. 85-86, 1864) transponendum esse locum : « Ad quas ipsas consultationes.... omnino turpe non sit », paulo supra ad calcem cap. VI, post verba « officium exquiritur ». Censet voc. *libris* glossema esse, post *superioribus.* — § 34. Velit Ungerus legere : « sed ut eam (repugnantiam) sine errore diiudicaremus, si quando incidisset » ; vix autem putes Tullium orationem sic constituisse : « sed ut *eam......* induxit *eam* » ; neque dici potest repugnantiam *incidisse.* — Contra codices, merito scribit Baiterus, auctore Manutio, *venerunt,* pro *venerint.*

VIII, § 36. Bake (de Legg. p. 451) censet legendum esse : « quibus nihil nec tætrius nec fœdius *cogitari* potest », quod magis ex usu Tulliano quam vulg. *excogitari* ipsi videtur. — Scripsit Baiterus cum codd., monente Zumptio : « pœnam non dico legum, *quam* sæpe perrumpunt, etc. ». Scripserat Orellius *quas.* — § 37. Non sine causa Facciolato adventitia hæc conclusio videbatur : « Ergo ea deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio », quæ ex margine ab aliquo erudito lectore scripta in textum irrepsit, ut alibi sæpius his in libris factum est. Tacet Baiterus.

IX, § 38. Legitur apud Platonem, p. 359 D, μείζω ἢ κατ' ἄνθρωπον, unde conjicias Tullium scripsisse potius *inusitata,* quam *invisitata,* quam lectionem prætulit Baiterus. — Verba : « peccare, quam si non haberet », Madvigio auctore, seclusit Baiterus, cui libenter adsentior. — § 39. Contra codices et plerosque editores, qui habent « *quamquam* potest id quidem, etc. », admisit Baiterus Manutii conjecturam : « Nequaquam potest id q. ». Melius, opinor, Ciceronis mentem et academicam judicandi rationem exhibeamus,

legendo : « Quamquam *fortasse* id quidem », ut Tusc. I, § 67 : « Quamquam fortasse id quoque, sed, etc. » quem locum indicavit Orellius. Facile compendia vocum *potest* et *fortasse* confusionem gignere potuerunt.

X, § 42. Sequar Halmium qui legere velit : « *quoad* sine alterius iniuria fiat », pro *quod*, etc. Sic infra § 43 legitur : « quoad per leges liceat ». — § 44. Auctore Lundio, merito scripsit Baiterus : « cum vero iurato sententia dicenda *est* », pro vulg. *sit* quod habent codd. sui omnes. Etenim *cum* hic valet *quotiescunque*. — § 45. Auctore Manutio, idem contra codices merito edidit : « vas factus *sit* » pro *est*, quoniam hoc verbum pendet a conj. *ut* quæ legitur inter *fuisse* et *cum*.

XI, § 47. V. notam ad § 114. — § 49. Ultima capitis XI sententia : « Melius hi quam nos, qui piratas immunes socios vectigales habemus », aliena h. l. videtur, minime enim refertur ad ea quæ prius leguntur. Aptiorem locum obtineret cap. XXII, § 87 post verba : « piratarum melior fides quam senatus ». Fortasse tamen hic subest geminæ enunciationis exemplum quod librarios fugit ; itaque sententiæ suspectæ locum præposterum assignaverant.

XII, § 51. Opinor legendum esse : « cum maior *sit* copia » ; *cum* hic valet *quoniam ;* auxit copiam frumenti novus venditor, ideo paulo vilius fit. — § 53. Verba : « inquiet ille », post « immo vero », Baiterus seclusit ; equidem valedicam quoque verbis « necesse est », quæ latent in formula « immo vero ». Conf. quæ diximus § 19.

XIII, § 54. Transferam post verba « nemo sciat », auctore Baitero, membrum : « ignoretur in omnibus cubiculis apparere serpentes », et addam nihilominus *sint* post *materiatæ*, ob verbum *habeantur*. — § 56. Ungerum sequor legentem l. l. « quæ diiudicanda *est* », pro vulg. *sunt*. — § 57. Cod. reg. habet : « quum quid reticeas », pro *quicquid*, quæ lectio non spernenda mihi videtur. — Ruhnkenius delendam esse censebat sententiam : « Hæc et tot alia plura nonne inutile est vitiorum subire nomina ? ». « Sunt, aiebat, magistri cujusdam qui offenderetur tot synonymorum coacervatione ». Fortasse igitur scripserat *subdere*, pro *subire*. — Vide notam ad §§ 91-92.

XIV, § 58. Scripsisse Ciceronem suspicor : « Venales quidem, *inquit*, se non habere » ; vix abesse potest verbum *inquit*, sed facile intelligitur vox *hortos* quam omisi. — § 60. Contra suos codices, qui habent *quærerem* scribit Baiterus *quæreretur*, quod non improbem. Ungerus malit *quærerent*.

XV, § 61. Legendum esse « *in* tutela », pro vulg. « *ut* tutela », monet Unger. l. l. — § 63. In ordine sententiarum quibus constat hic § nonnihil perturbatum fuisse facile apparet : nam sibi non ita succedunt ut argumentatio procedat ; immo retrogredi videtur. Enimvero sententia : « Neque enim solum nobis divites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis maximeque reipublicæ ; singulorum enim facultates et copiæ divitiæ sunt civitatis », Hecatoni tribui nequit, nam si tribuatur, huic « Scævolæ factum

non placere » non dici posset. Neque membrum : « Etenim omnino tantum se negat facturum compendii sui causa, quod non liceat » cum eo quod sequitur : « Huic nec laus magna tribuenda nec gratia est » ; etiamsi inseras *qui* ante *omnino*, bene connectitur. Equidem suspicor sententiam priorem : « Neque enim solum nobis...... civitatis », hoc loco alienam, cuidam erudito interpreti deberi ; nisi eam paulo supra, post *conveniret*, transponere malis, ubi Ennii opinioni refutandæ prodesset. Præterea legendum esse arbitror : « *Attamen qui* omnino........ non liceat, huic nec laus magna tribuenda nec gratia est » ; scilicet hic sapientis nomine non dignus est ; quod Hecatonem redarguit.

XVI, § 66. Auctore Cobet. (Mnemos. II, p. 420), contra codices omnes, omisit Baiterus, non seclusit, verbum *vendidit*, post « proscripsit insulam » ; coll. § 55. — § 67. Adsentior Ungero opinanti sententiam : « sed huius modi reticentiæ....... diligenter tenentur » transponendam esse infra, post verba « esset teneret », non addita voce *omnes*, ante *comprehendi*, quæ non legitur in codd.

XVII, § 68. Omittendum censeo colon : « ipsæ enim feræ nullo insequente sæpe incidunt », quod orationis motum tardat et perperam additum est, quia non viderunt *suntne* idem valere quod « nonne sunt ». Conf. § 78. — Interrogandi signum post *imprudens*, mihi videtur orationis vim frangere ; et deesse *ut* ante *aliquis*. — Merito seclusit Baiterus, cum Ungero, verba : « domum propter vitia vendas », quæ glossema sapiunt.

XVIII, § 74. Inseruit Baiterus, ex auctoritate codd. Habc, voc. *nomen* in sententia : « O turpem notam temporum nomen illorum », quod a plerisque editoribus omissum erat ; mihi vero videtur ex inferiore versu perperam illatum et h. l. alienum, nam ex eo idoneum sensum vix elicias. Conf. I, § 35. Tullius, opinor, turpe censebat Satrium, non vero Hortensium, seu Crassum, agri Piceni et Sabini patronum nuncupari. Heine (Philol. XV, p. 692) delendum esse censet voc. *nomen*.

XIX, § 76. Tullii manum non agnosco in hac sententia : « Hoc qui non didicerit, bonus vir esse non poterit », quæ omnino abundat, post ea quæ jam dicta sunt, atque ex margine in textum irrepsit. Dissentiunt codd. de ordine et de numero verborum ; sed plerique et optimi habent « bonus vir », quod est contra Ciceronis morem. — § 77. Facile caream pronomine *ei*, inter *itaque* et *dixisse* ; malim tamen legere *atque*, pro *itaque*.

XX, § 79. Nomen *romanum* abesse potest post *populum*. — § 81. Seclusit Baiter., auctoribus Krarup. et Madvig., voc. *forma*, post *species*. — § 82. Alienam h. l. sententiam : « Quid enim interest, utrum ex homine se convertat quis in belluam, an hominis figura inmanitatem gerat belluæ », merito censet Ungerus (l. l. pp. 93-95) ; idoneum vero locum esse putat in fine §i 82, post verbum *exceperit*. Ego vero eam sententiam potius, § 32, post verba « segreganda est », transponam.

XXI. Velit legere Ungerus : « nonne idem faciunt? (*scil.* quod Marii, ut, cum permagna præmia sint, causam peccandi esse opinentur). Quid is, qui...... potens esset? » Non opus. — Seclusit Baiter., ex auctoritate optimorum codd., incisum ; « et quam inutile esset ». Fortasse h. l. adj. *inutile* idem valet quod *damnosum*, ut infra § 101. — Pearcius et Gesnerus legere volebant : « Capitalis Euripides vel potius Eteocles » ; Wyttenbachius et Porsonus omittebant verba : « vel potius Euripides » ; Ungerus legendum esse censet : « Capitalis Eteocles vel potius *ipse* » (scil. qui hos versus semper in ore habebat). Baitero autem non solum verba : « vel potius Euripides » sed etiam quod præcedit *Eteocles* glossatori videntur tribuenda, quod verisimile existimo; at saltem addendum post *capitalis*, vel *ille*, vel *sane*, quæ vox glossemate absorberi potuit. — § 84. Codices dissentiunt in lectione : « non *habeo* ad volgi opinionem, etc. ». Cod a dat *habet*, alii *abeo* seu « ab eo » ; equidem suspicor Ciceronem scripsisse *laboro ;* non enim idoneum sensum præstat lectio *habeo ;* secundum Facciolatum valet *invenio*, quod elegantiam Tullianam certe non sapit.

XXII, § 86. Delendum esse *clam*, post *sic*, opinatur Cobet. cui Baiterus obsequutus est. — Omittam *eius*, inter *idque* et *factum*, quod simul abundat et ambiguum est; de vocis loco dissentiunt codd.— § 87. V. notam ad § 49, C. XI, — § 89. Restituit Baiterus, ex auctoritate codicum suorum, verba « ut putat », quæ Orellius omiserat; mihi vero admodum supervacua videntur, et orta esse ex verbo *disputat* superioris versus.

XXIII, § 90. Legitur apud Bakium (Schol. Hypomn. t. V, p. 64) : « Corrigendum est in his : « Non igitur patria præstat omnibus officiis? Immo » vero ipsi patriæ conducit pios habere cives in parentes » : e libris edi solet, « immo vero ; sed ipsi p. ». Sententiam enim hanc esse oportet in respondendo, « non præstat patria omnibus officiis, quoniam prius officium est colere pietatem erga parentes, quæ pietas conducit patriæ ». Pace doctissimi viri negem h. l. Tullium sententiam de patriæ præstantia mutavisse, quæ posthabitis parentibus colenda est, conf. I, § 57. Sed existimat saluti patriæ consulendum esse pietate in parentes observata. Ideo non deleam part. *sed*, post « immo vero », quam merito servavit Baiter. — §§ 91-92. Libenter assentior Ungero monenti (l. l. p. 96-97) locum : « Quærit etiam, si sapiens........ quos nominavi, controversia » alienam hic sedem usurpavisse; nullo modo enim consentanea exempla sunt cum iis quæ supra leguntur, et legitimam assignanti inter cap. XIII et XIV, ubi redditur controversia inter Diogenem et Antipatrum de iis quæ celare non licet. Mutandum verbum *quærit* in *quærunt*. — § 91. Non sine causa suspicatur J. M. Heusingerus hanc sententiam : « Hæc sunt quasi controversa iura Stoicorum » e margine profectam esse et alieno loco positam. Tacet Baiterus.

XXIV, § 92. Membrum : « si eo medicamento sanus factus esset », ex tribus optimis codd. Bern. abc, in orationem denuo inseruit Orellius, licet

in aliis codd. desit et a plerisque editoribus, præter Victorium, Lambinum, Suffr. Petrum, omissum sit. Equidem existimo ad orationis perspicuitatem satis esse id semel exprimere, legendo post *uteretur* : « si eo med. sanus factus *esset* », quoniam, si « annis aliquot post inciderit in eumd. morbum », patet eum sanum factum fuisse. Tacite sequutus est Orellium Baiterus. — § 93. Scripsit idem contra codd., qui habent *promisisse*, auctoribus Wesenbergio et Halmio : « *promisisset* nollem ». — Restituit Baiter. incisum « quam si ceperit », quod Orellius omiserat, non sine dubitatione, ob codd. consensum ; mihi quidem prorsus omittendum videtur ob comparativum *honestius;* etenim intelligendum est : « quam si saltaret », quod deinceps enarratur. Minime honestum fuisset hereditatem capere, omissa conditione.

XXV, § 94. Legitur in quibusdam codd. *insanus*, inter verba *atque* et « antequam *constitit* », quod adjectivum mihi deesse videtur post *optavit*, et sententiam nonnihil imperfectam et truncam sic compleam : « sublatus est; atque antequam *cursum confecerit*, *quia* constitit, ictu fulminis deflagravit ». — Locus : « Quid? quod Theseus...... in maximis fuit luctibus » jam Valckenarii, Ernestii, aliorum suspiciones movit ; videtur desumptus esse ex libr. I, § 32. Baiterum merito offendit locutio : « tres optationes dare » ; ideo locum seclusit. — § 96. Idem Ungero obsequutus est cui spuria visa sunt verba : « Ac de prudentia quidem....... continentiæ et temperantiæ ». Non vero adsentitur O. Heine (Philol. XV, p. 692) quia sic quæ restant non amplius conveniunt cum initio cap. XXXIII. Equidem geminæ enunciationis vestigia agnosco in sententia qua § 95 concluditur : « Ac de iis quidem...... satis arbitror dictum », et in principio §[i] 96 : « Sed quoniam a quatuor fontibus........ disputatum est ». Suspicor Tullium hanc retractationem prius scripsisse, et deinceps argumentationem brevius concludere maluisse. Secludam ergo verba : « Sed quoniam....... disputatum est ». Non repugnem, si malis verba suspecta eidem erudito interpreti tribuere de quo mentio fit in adnot. §§ 28, 29, 113.

XXVI, § 97. Inserenda mihi videtur, ante verba : « Utile videbatur Ulixi », sententia quæ legitur § 117 : « Iam si non modo utilitas....... cum honestate pugnabit ». Vide adn. ad h. l. — Verba Heumanno et J. M. Heusingero suspecta : « ut aliquis fortasse dixerit », contra codices et plerosque editores, merito Baiterus seclusit. — § 99. Suspicor lectionem *factam* ortam esse ex glossemate *factum* nominis *rem ;* legam igitur : « ad rem (quod respondet voci *fabulas*) nostraque (quod respondet voci *externa*) veniamus ». — Omittam cum Lambino, Langio, Facciolato, incisum « quæ erat talis », quod mihi supervacuum et alienum ab usu Tulliano videtur ; nec bene congruit cum iis quæ infra leguntur : « Quis hæc *neget* esse utilia ? » quod malim pro *negat*. — Tullium scripsisse suspicor : « *Si* quem censes (scil. hæc dicturum esse utilia), magnitudo et fortuna negat.

XXVIII, § 102. Restituit ex codd. suis verbum *perverteret* Baiterus ; in

aliis legitur *præverteret*, quos Orellius merito secutus est. — § 103. Post verba : « ratum esse non debuit », sextam adversariorum contra Regulum rationem (scil. cur igitur ad senatum proficiscebatur, cum præsertim de captivis dissuasurus esset ? § 110), excidisse censet Ungerus. Mihi vero hæc quæstio juncta esse cum iis quæ prius dicta sunt : « quasi vero forti viro vis possit adhiberi » videtur, declarandi causa Regulum, quum ad senatum proficisceretur, Pœnorum vi non esse obsecutum.

XXIX, § 107. Opinor legendum esse : « quod *ergo* ita iuratum est », pro « quod *enim* ». — Fortasse Tullius prius scripserat : « Nam pirata non est ex perduellium numero ; cum hoc, etc. » et deinde, omissis verbis « ex perduellium numero », scripsit : « Nam pirata non est definitus, sed communis hostis omnium ; cum hoc, etc. ». — § 108. Malim : « periurio turbare ».

XXXI, § 111. Legendum esse puto *motiones* pro *notiones*, ob formulas « movere tribu, senatu », — § 112. Merito seclusit Baiterus locum jam Ernestio suspectum : « Atque hic Manlius...... severus in filium » ; ubi fortasse agnoscas manum illius docti interpretis jam sæpius deprehensi ex gr. §§ 28, 29, 96, etc.

XXXII, § 113. Non sine causa Ernestius et Ungerus delendum esse censent voc. *periurium*, post *dissolvit*, nam intelligi debet *iusiurandum*. In cod. A autem verba sic distincta leguntur : « dissolvit. Periurium. Fuit, etc. », unde legi possit : « Periurium fuit igitur stulta calliditas ». — § 114. Alieno loco positum esse exemplum quo constat hic § cuivis facile patebit, quoniam Polybii et Acilii narrationes de neglecto jurejurando perperam dirimuntur ; itaque jam J. M. Heusingero Wolfioque spurium visum est. Baiterus id seclusit et censet aptiorem locum fore si legatur inter §§ 47 et 48. Huic opinioni libenter adsentior, quia narratiunculæ conclusio : « Sic honestatis comparatione, ea quæ videntur utilia, vincuntur », mirum in modum cum sententia congruit quæ in fine §[i] 47 legitur : « Tanta vis est honesti, ut speciem utilitatis obscuret », ita ut alterutra abundare videatur, et posterior quoddam vestigium præbeat exempli olim h. l. inscripti, ubi revera nostrum scriptorem decebat unum saltem de suis nobile factum memorare, priusquam de Atheniensibus mentionem faceret. Cæterum hoc exemplum desumptum ex Polybio (libr. VI, § 56) ab aliquo interprete h. l. in margine videtur scriptum fuisse ob nomen Polybii quod supra legitur. Quare legendum « scribit Polybius », pro « scribit idem », si transponatur narratio inter §§ 47 et 48. — § 115. Legendum esse suspicor : « eosque a censoribus *omnes* ignominiis notatos ».

XXXIII, § 117. Jos. Oliveto tota hæc sententia : « Nam si non modo utilitas....... cum honestate pugnabit » suspecta erat, quam ex iis quæ sunt in libro II de Finibus esse conflatam censebat. Enimvero non facile cum iis quæ præcedunt connectitur, et orationis placiditas non respondet decertandi cupidini quam exprimit scriptor. Præterea denuo comparatur utilitas

cum honestate, quod argumentum jam confectum est. Mihi quidem suum, certe aptiorem, locum hæc sententia obtinere videbitur, si § 97, ante verba: « Utile videbatur Ulixi », transponatur, quibus sine exordio derepente nova argumentatio orditur, et ubi allatum exemplum cum illa sententia bene congruit. Sed legam : « *Iam* si non modo utilitas », pro « *Nam* si non m. u. ». Tacent ceteri critici. — Quoniam legitur infra : « quod autem munus prudentiæ? » et deinde agitur de fortitudine, Tullium scripsisse opinor : « Nam ubi primum *iustitiæ* locus dabitur? », pro vulg. *prudentiæ;* quod jam Facciolatus suspicatus erat, qui volebat legere *illi*, scil. *honestati*. — § 118. Formula « quoquo modo possunt » perperam illata esse ante verba « non incallide tergiversantur », ubi inepta est, mihi videtur, et sumpta fuit ex iis quæ infra leguntur, post « sed tamen ». — § 119. Inclusit Baiterus verba « et malorum », quæ deleri possunt.

PARADOXA STOICORUM.

---

§ 2. Non convenit « *eo* maius », cum *quia*, quod mox legitur; itaque malim « *ideo* maius »; et infra *potius*, pro *plus*, ante *utimur*, opinor legendum esse. — § 3. Verum vidisse puto Walker. et Bentlei. qui legunt « de contemnenda morte », pro « de continentia, de morte ». — Sequar Lambinum addentem *nullis*, ante « oratoriis ornamentis », ne sibi contradicere videatur Tullius, qui, § 2, Catonem « in ea esse hæresi quæ nullum sequitur florem orationis » profitetur. — § 4. Omittam cum C. F. W. Müllero : « ab ipsis etiam παράδοξα appellantur », quoniam idem infra dicitur. — Omittam cum Bentleio aliisque criticis incisum « id est in forum ». — § 5. Fortasse legendum in principio §[i] « hoc parvum *opus* », et prope finem « hoc tamen *opusculum* ».

I, § 6. Codd. AB[1]V[1] habent « *exoticorum* hom. disp. » B[2] « ex Atticorum »; V[2] « ex Stoicorum », quem secutus est Orellius. Halm. scripsit cum Marklando « ex otiosorum ». C. F. W. Müller. opinatur legendum « ex Socraticorum », quia Socratis et Socraticorum in Paradoxis alibi mentio fit §§ 4, 23. Equidem malim *curiosorum*. — Legam : « dicam brevius quam res tanta poscit. » — § 7. Verba spuria « pecuniæ membra » prorsus deleam; opponit scriptor adj. *imbecilla* et *commutabilia* adj. *bona*, quod vidit Bentlei. — Legam cum Madvig. *absint*, pro *obsint;* Halm. retinuit *etiam* ante *improbi*, quod mutavit merito Madvig. legens *et*. — § 10. Fortasse legendum *curio-*

siora, ut supra § 6, « *curiosorum* hom. disp. ». — Pro *lentius*, malim *longius*. — Membrum : « hæc quæ verbis subtilius quam satis est disputari videntur » ut ex glossemate adjectum inclusit Halmius ; ego vero in iis verbis geminæ enunciationis vestigium reperiisse puto ; prius Tullius scripserat : « sed hæc subtilius et longius q. s. e. disp. vid. », quod postea elegantius expressit : « sed hæc videri possunt c. cum l. disputantur ». — § 11. Monuit Madvigius tollendum esse voc. *regum*. — Omisit merito Halmius voc. *eam*, post *liberaverunt*, quod Orellius secluserat. — Felix est Baiteri conjectura legentis *Saliorum*, pro *aliorum*. — § 12. Opinor legendum esse « devota *vis* seu *virtus* », pro « devota *vita* ». — Halm. ex cod. Vindob. addidit *ne* post *cogitasse*, quod deest apud Orellium et Klotzium, et in quibusdam optimis codd. — § 13. Idem omisit *se* ante *similes*, quoniam legitur post *utrum*.

II, § 17. Omittendum esse *non*, inter *modo* et *repugnanti*, monet C. F. W. Müller. — § 18. Sequor C. F. W. Müllerum legentem : « te *tuæ* lubidines torquent », sic opponitur adjectivo *omnes* ; idem legere velit : « *qui te* florentem ». — Restituit Halm. ex codd. verbum *suspirare*, pro *respirare*, quod apud Orellium, Klotzium, etc. legitur ; sed sine causa omisit adv. *libere*, quod legitur in codd. A[2]B, neque scholii speciem habet, secundum C. F. W. Müller. — § 19. Malim : « neque porro fugienda vita est quæ laudanda ».

III, § 20. Plerique codices, inter quos optimi, habent « ad augendam *transeundi* culpam », quod verbum omisit Halmius cum cod. Gudiano, num. 150 ; jam abest a Grutero ; Ernestius legere volebat *transeuntis*. Verbum *transeundi* tuetur C. F. W. Muller. — § 21. Wesenberg. velit : « temperato temperatiorem » ; quod cod. Basil. confirmatur. — Fortasse legendum : « in *alia* effuderit », pro *aliqua*. — § 22. *Huic* abesse potest inter *nihil* et *addi*. — Legam : « recte facta *quæ* a virtutibus proficiscuntur », pro *quoniam* ; non omnino pares sunt ambæ sententiæ. Codd ABV[1] habent *quando*, quod malit C. F. W. Müller. — § 23. Ernestio tribuit Halmius lectionem *nobis*, quam edidit post *utrum* ; Orellius vero Ernestium legisse « de bonis » testatur. Equidem legam « *sit* quærendum », ut velit Halmius. — § 24. In codicum dissensione et adulteratione, sequar latinæ linguæ usum legendo : « *in* servum ». — Hæreo inter *quoniam* et *quando*, ante verba « ultro accessit » ; in talibus autem verbis codicibus non fido. Conf. § 22. — § 25. Lambinum sequutus est Halmius legentem *figere*, pro *fingere* quod habent codices. — § 26. Codd. habent : « Si visa (A[1] *visæ* ut videtur) sint breviora, leviora videantur qui (V *quo*) possint videri », unde Madvig. corrigebat : « Visa sint breviora, leviora qui possunt ». At C. F. W. Müller. nativam formam, opinor, restituit legendo : « si vis, sane sint breviora, leviora qui possunt videri ».

IV, § 27. Hic exemplum insigne habemus librariorum negligentiæ vel stuporis et nimiæ editorum obsequentiæ, qui sub titulo : ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται, alienam disputationem indubitanter admiserunt ; quem errorem jam

ante annum 1606 agnoverat atque declaraverat Scioppius, in Elementis philosophiæ stoicæ moralis, cap. 129, p. 177, ut monuit Madvigius, qui ejus opinioni suffragatur. Equidem aliena esse a Paradoxis opinor quæ hic, post verba : « invictus....... potest », leguntur. — Sententia « senatus nomen in republica non erat », quæ diversas hominum doctorum conjecturas movit, nullo vitio laborare C. F. W. Müllero videtur qui monet negationem simplicem, *non* seu *nullus*, sæpe valere « ne..... quidem ».— § 29. Felicem veramque C. F. W. Mülleri conjecturam amplector legentis : *conscientiam* pro *constantiam*, unde supervacuum fit *cum* quod ab Halmio additum fuit, nec opus est mutare in *staret*, verbum *stare* quod dant codd., qui habent etiam *rempublicam*.— Addidit Halm. *ut*, ante verba « civis optimi », quæ particula in codd. deest, et tamen abesse potest, quia hæc verba « civis optimi » ad voc. *meam* referuntur ; quod viderat Car. Langius. — § 31. Inseram cum plerisque criticis : « non eris tu exul » ; sed deinde legam : « non expelletur is qui cum telo fuerit ? » quod melius convenit cum iis quæ subjiciuntur, quam verba : « Exul non appelletur is, qui cum telo fuerit », ut edidit Halmius.

V, § 34. C. F. W. Müller. legendum esse censet : « Quis igitur vivit, ut volt, nisi qui recte vivit ? qui gaudet officio..... provisa est ; qui ne legibus, etc. ». Verbum *sequitur* quod dant codd. sumptum esse monet ex versu inferiori, ubi legitur post « sed eas », et errore cujusdam librarii omissum, in margine scriptum et alieno loco repositum fuit. — Halm. secundum suos codices edidit : « qui ne legibus quidem propter metum paret » ; sed sic sententiam parumper claudicat ; deest enim notio quæ legibus respondeat ; itaque legam cum Orellio : « qui legibus quidem *non* p. m. p. ». — § 35. Malim : « illud tamen *aperte* confitendum est », pro vulg. « et breve et ». — § 36. Vulnus quo laborabat oratio, post verba « appellandum puto », ingeniose et feliciter sanavit Madvigius, transpositis verbis : « in pari stultitia...... principes estis », post particulam *atque*, et verbis : « in magna familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen servi, ut atrienses », post *sed ut*, § 37, omissis geminatis vocibus « in familia », quas ad restituendum sensum denuo scripserat librarius. Quod salubre remedium, levius quam plerique opinantur critici, dolendum est non sæpius adhibitum fuisse. — § 37. Legebatur olim : « ipsius civitatis locum pæne infimum obtinent », at codices, pro voce *civitatis*, habent *servitutis*, quam lectionem tuitus est Græviùs, cui editores obsequuti sunt ; Bentleius vero omittendam esse censet utramque vocem et intelligendum esse *civitatis* post *ipsius*. Fortasse legendum « ipsius societatis ». — Malim : « magna, *inquis*, bella gessi ». — § 40. Lambinus se propemodum adsentiri fatetur iis qui, pro *iudex*, legendum esse putabant *index*, quod revera melius cum iis quæ prius leguntur convenit.

VI, § 42. Halm. malit : « quoi tanta possessio *sit* ». Vere, opinor. — § 43. Bene addit idem *ne*, inter *amicorum* et *exspectas*. — § 44. Legam cum

Bentleio : « At si cui, ut aiunt, Danai quinquaginta sint filiæ ». — § 48. Fortasse latet, in voce spuria *intercidas*, partic. *interdictas*, et excidit, post *pecuniarum*, seu *promissiones*, seu *profusiones*. — Legam subinde « in *conditionibus* », pro *coitionibus*. — Sequar Madvigium qui, ut olim P. Manutius, legendum esse censet : « qui *edictum* », pro *dilectum*, adsentiente non vero obsequente Halmio. — § 49. Lectio codicum : « non modo ad fructum ille est sumptus, sed etiam ad fænus exiguus » non absurda videbitur si tibi fingas hominem *sumptuosum*, qui quæ cupit non curat quomodo comparet, suasque opes majores quam sunt existimet ; præterea voc. *fructus*, melius quam *sumptus*, cum *fænus* congruit ; ejusdem generis sunt, nec de fænore solvendo hic agitur. — § 50. Interrogandi signum ponendum esse monet C. F. W. Müllerus, post « pauper tandem fuit », quod jam viderat Wyttenbach. — § 51. Legam cum Guilielmio : « minime *casu* noceri », pro vulg. *quasi*.

DE RE PUBLICA LIBER PRIMUS.

I, § 1. Fortasse legendum : « et qui *non* sunt procul ab ætatis huius memoria », ut *qui* respondeat pron. *eos ;* Halm. edidit : « et *quia* sunt *haut* procul, etc. » in qua lectione pron. *eos* mihi pendere videtur. Codex habet « et qui sunt ». — Malim *ardorem*, pro vulg. *amorem*, quod nomen requirit *in* seu *erga*, non vero *ad*.

II, § 2. Legendum esse opinor : « qui hæc disciplinis *informarunt*, alia moribus confirmarunt, sanxerunt autem alia legibus » ; seu omittendum esse *alia* ante *moribus* et restituendum *informata*. Fortasse priorem sententiæ formam scripserat Tullius, et deinde alteram elegantiorem substituit, quod librarios fugit qui utramque permiscuerunt.

III, § 4. Deesse videtur nomen *viro* seu ante seu post *vigilanti*, quod neglectum, alieno loco inter *vel* et *etiam* paulo infra perperam insertum est, sub forma conj. *vero*. — § 6. Inclusit Halm., Mosero auctore, verba : « principum cædes », quæ videntur a quodam lectore in margine scripta in orationem perperam irrepsisse. — Fortasse scripserat Cicero *amarius*, pro *amantius*.

IV, § 7. Malim. cum Jos. Vict. Clerico et Fr. C. Wolfio, « *qui* cum liceret », pro vulg. *cui*, ob v. *dubitaverim* quod subjectum requirit. — § 8. Tullium scripsisse suspicor : « ut nulla quasi *adiumenta*, pro vulg. *alimenta*, quod male convenit cum reliqua sententia et cum part. *quasi*.

V, § 9. Edidit Maius, quem sequuti sunt editores : « neque *liberalis* cum

impuris »; cod. dare videtur *liberis*, deleta *s*; Halm. edidit *liberi*, quem non sequar. — Malim legere cum Orellio : « *perinde* quasi », pro vulg. *proinde*; auctoritas codicum vel optimorum in talibus fere nulla est, ob compendia quibus significantur *per*, *præ* et *pro*, facillime confusa.

VII, § 12. Cod. habet: « *plurimis* a me verbis »; Moser. quem sequuntur Klotz. Halm. scribit *pluribus*; non opus.

VIII, § 13. Verba : « Quibus de rebus » quasi suspensa aliquid videntur requirere ad quod referantur; lacunam, quam alii alio modo complent, equidem sic compleam : « Quibus de rebus *scribere libet*, quoniam, etc. ». — Post verbum *essemus* legam *adepti*, omisso vocab. *auctores*, quod speciem habet glossematis verborum « superiores alii ». — Malit Halm. « prætermissum *est* », pro *puto*, quod addidit manus recentior.

X, § 16. Omittam cum Nonio verba : « et in Siciliam », quæ mihi cum reliqua sententia non bene congruere videntur.

XI, § 17. Codex habet: « qui est nobis *lautus* sermonis auctor »; Orellius cum Steinackero legit *laudatus*; C. G. Th. Franck. velit *totius*; Halm. secutus est Klotzium qui edidit *huius*. Equidem opinor Tullium scripsisse : « qui est nobis *habitus* sermonis auctor »; dixit enim § 13 : « se huius sermonis memoriam ab Rutilio accepisse »; sæpissime autem codex permutat litteras *b* et *v*. — Malim: « de quo *cupio*, Phile, ex te audire quid sentias ». Orellius malebat *aveo*; Halm. aliique edidd. *studeo*; cod. dat *studio*.

XII, § 18. Formula « *coniecit* in medium » mihi repugnare videtur iis quæ subjiciuntur : « observaret in parentis loco »; opinor legendum seu *constituit* seu *recepit*; verba quæ syllabam *con* in principio habent sæpius a librariis ob compendia corrumpuntur. — Jos. Vict. Clericus quem sequar legit : « Scipioni quoi (*pro* cui) eorum, etc. », pro vulg. *Scipionique*.

XIV, § 22. Legitur in cod. « astellisq caelo inhereren », teste Du Rieu; litteræ *ell* deletæ sunt, *is* post addidit prima (?) manus, ut videtur. Igitur scripsit Halmius : « astris quæ caelo inhaererent ». Orellius cum Maio : « astris caelo inhaerentibus ». Equidem malim : « stellis quæ caelo inhaererent esse *distinctam*, pro vulg. *descriptam*.— Non displicet Wolfii conjectura : « *ut* in caelo, *ita* in sphæra », vel *sic* in sph.

XV, § 23. Inseruit Halm. *esse* ante « semper futurum »; cujus verbi vestigia in codice cernuntur.

XVI, § 25. Legam, pro part. *etiam*, ante verba « bello illo maximo », seu *evenit*, seu *contigit*, quod vix abesse potest; plene interpungendo, ante vv. « Pericles ille ». — Omisit, codice melius inspecto, Halm. v. *certo* ante « intermenstruo tempore ». — Viderat Beier. legendum esse : « lunæ oppositu », quod confirmat codex, teste Du Rieu. — Vere, opinor, scribendum esse suspicatur Halm. « *quum* ut scribit », pro vulg. « *qui* ut scr. ».

XVII, § 26. Deesse mihi videtur adverbium quale *frustra* seu *male*, inter *quamque* et *nos*; quoniam *quam* non ad *exigua* sed ad *speremus* refertur.

— § 27. Sententia : « Agros vero et ædificia........ hominum immensa possessio » mihi videtur transferenda paulo infra, post verba « qui tractare et uti sciat », ubi oppositio quam indicat particula *vero* melius intelligitur; præterea exclamatio : « Quam est hic fortunatus putandus » sic bene nectitur cum iis quæ statim leguntur : « cui soli vere liceat, etc. ». — Vere legit Halm. *deterrimorum*, pro vulg. *teterrimorum*. — § 28. Idem merito inclusit incisum : « de qua modo dicebatur », alieno loco ante *effecerit* positum, quod glossema prodit, monentibus jam Heinrichio et Osanno. — § 29. Nisi inseratur vox *navim*, seu ante *tempestas*, seu ante *detulisset*, pron. *quem* duplex munus habet, pendet enim a verbo *detulisset*, et subjectum est verborum *animadvertisse* et *exclamavisse*. Fortasse hic habemus geminæ enunciationis exemplum, quam seu neglexerunt, seu male intellexerunt librarii. Potuit enim Tullius scripsisse seu : « *qui* cum ex alto...... *navim* detulisset........ animadvertisse *dicitur*, etc. », seu : « quem, ex alto ignotas ad terras et in desertum littus *delatum*..... animadvertisse *dicunt* in arena, etc. ».

XVIII, § 30. Auctore Dobree, Ennii versum et voc. *catus* Halm. merito seclusit. — Jos. Vict. Clericus scribit : « in ore semper erat ille de Iphigenia Achilles ». — C. F. W. Müller. *id*, inter *aliquid* et *valent*, inserendum esse monuit.

XIX, § 31. Idem adj. *locupletibus*, post « bonis viris », ex interpretatione ortum esse suspicatur; equidem omittam *bonis*. — § 32. Malim : « *at* scire istarum rerum nihil », pro vulg. *aut*; deest enim oppositio inter ea quæ jam dicta sunt et ea quæ sequuntur. — Omittam *et* inter *sit* et *melius*.

XXI, § 34. Fortasse particula *vel*, quæ ante *Græcis* in codice legitur, orta est ex compendio voc. *duobus*.

XXII, § 35. Malim : « non*ne* me inertiorem esse confitear? », pro « *non* me »,

XXIII, § 37. Non repugnem critico *in* adjiciendum esse censenti, inter *autem* et *studiis*. — Legam, cum Orellio, *hominibus*, ante « scripta sunt omnia », pro lect. codd. *nobis*.

XXIV, § 38. Ex cod. vestigiis addit Halm. *iam*, ante « ingrediar in disp. ». — Idem seclusit « tum demum », ante *decebit*; quod nollem factum.

XXVI, § 41. Vix intelligi potest vox *virtutum*, post *reliquarum*; suspicor legendum esse *civitatum*; conf. paulo infra : « omnis civitas, etc. », — § 42. Legam : « sed ut aliud alio possit esse præstantius ». — Malim : « non *inculto* statu », pro vulg. *incerto*, Orellius conjiciebat *inornato*, coll. § 43 : « non tenebat ornatum suum civitas ».

XXVII, § 43. Distinguam cum Orellio : « cum regeretur unius nutu ac modo. Si Massilienses, etc. » ut infra legitur : « Si Athenienses ». — § 44. Legam cum Mosero : « Atque *hic* loquor », pro « *hoc* loquor ». — Merito suspectum visum est verbum *immutandi*; itaque G. Hermann. conjecit : « ad *invitandam* animi licentiam » ; Dobree : « ad immutan*dam* animi *sen*-

tentiam; equidem malim : « ad *indicandam* seu potius *illustrandam* animi licentiam », quo verbo utitur Tullius etiam de pravis factis.

XXIX, § 45. Videtur deesse nomen ad quod referantur adjectiva *factiosa, tyrannica, regia, popularis*; itaque inserendam esse opinor vocem *potestas*, cujus compendium male intelligi potuit, inter *optimatium* et *factiosa*, transferendo *vel* ante *tyrannica*. Conjiciebat Maius *tyrannis*, quæ vox non bene convenit cum *regia* neque cum *popularis*. — Tullium scripsisse suspicor : « *moderari autem* cursum atque in sua potestate *retinere* »; sic oppositio constat inter *sapientem* et *magnum civem*; mutatio verborum *moderari autem* in *moderantem*, originem dedit participio *retinentem*.

XXX, § 46. Legam cum Orellio : « *quem* optimum iudices », pro vulg. *quod*.

XXXI, § 47. Inclusit Halm., Madvigio auctore, *magis*, post *ea dant*. — *Ponderantur*, scil. *appenduntur*.

XXXII, § 48. Malim : « ius suum popul*us* tene*at*...... quippe qui domin*us* *sit* »; pluralis *teneant* ortus est ex plur. *negant*; unde mutatio nominum *populi, domini*, et verbi *sint*.

XXXIII, § 50. Glossematis speciem habet verbum *dominandi*; legam igitur cum Creuzero : « hominem cupidum imperii singularis, populove oppresso dominantem ». — Omittam cum Madvigio *rex*, inter *quam* et *importunus*.

XXXIV, § 51. Sicut Bakius, malim *præesse*, pro *præessent*; Halmius autem malit *præsint*. — Monuit Madvigius, post Jos. Vict. Clericum, legendum esse : « cum in paucis est, tum *a* paucis iudicatur », pro vulg. « tum *in* paucis iud. ». — Idem egregius criticus delenda esse vidit verba « eo nomine », post « re autem carent ». Cui correctioni subjungit hanc minime negligendam admonitionem : « Apparet vel hoc exemplo, quam antiqua sint » in Ciceronis codicibus additamenta ex pravo sententiæ intellectu orta (aut » etiam rectum intellectum declarantia) ». — Vox *nomen* mihi suspecta videtur inter *divitiæ* et *opes*, legam seu *bona*, seu *copia*. — § 53. Malim legere : « *Iam* æquabilitas quidem iuris, etc. », pro vulg. *Nam*. — Legam cum Schützio et Orellio : « ipsa æq. iniquissima *fit* ».

XXXV, § 54. Fortasse legendum : « per se *spectatum* probo », pro vulg. *separatum*, quoniam voces « per se » jam idem valent quod *separatim*, ut habet codex.

XXXVI, § 56. Vix abesse potest nomen *Homerus*, post verba « ut ait », etenim ab Homero non ab Arato ea hausta sunt quæ subjiciuntur. Bis legitur *Homerus* in cod. post *Olympum*. — Legam : « Qui naturam omnium rerum pervestigando senserunt, etc. ».

XXXVII, § 58. Fortasse, ante *vereor*, exciderunt verba « verum est » quæ sententia videtur requirere. Conf. de Off. I, § 33, ubi « verum est » idem valet.

XXXVIII, § 59. Inclusit Halm., monente Steinackero, « si forte », post

« si quando ». — § 60. Codex habet seu « ab animo reducebat », seu 2ª manu : « animi vere ducebat » ; unde Weissenborn., quem sequutus est Halmius, conjecit : « ab animo *removendam* ducebat », sed potius scripsisset, opinor, Tullius *removebat* ; itaque Klotzium sequar qui legit, ut 2ª manus : « seditionem quamdam animi esse ducebat ». — Non repugnem omissioni verborum : « eam consilio sedari volebat », quæ admodum probabiliter cuidam enarratori debentur, ob hexametri clausulam. — Opinor legendum esse : « et illud *videbis* si in animis hom. reg. imperium sit, unius fore dominatum » ; quod melius congruit cum imperat. *adde*. — Omittendum esse vidit Osannus adv. *profecto*, inter *non* et *probares*, ut est apud Nonium et in cod. correctum.

XL, § 62. Legam cum Maio, Creuzero, Mosero : « Tum magis *adsentiere* », pro vulg. *adsentiare*. — Malim, cum Halmio, « si digni modo *sunt* ». — Creuzer. et Jos. Vict. Clericus viderunt legendum esse : « *plura* me dicturum puto ». Orellius cum Beiero *multa* scripsit. — § 63. Legam cum Bakio : « vim *summæ* potestatis », pro *suæ*.

XLII, § 65. Tullium scripsisse opinor : « Si quando *autem* regi iusto vim populus attulit........ cave putes *aut* mare ullum aut flammam esse tantam, etc. ». Etenim oppositio indicanda est in sententiæ principio inter tyrannum et regem justum. Plene distinguo post *multitudinem*.

XLIII, § 67. Apud codicem legitur : « in tanta libertate », sed supra scriptæ sunt litteræ *que* ; unde Maius fecit *quin*, Doederlein, quem secuti sunt Orellius et Halmius, *inque* ; equidem malim « *in* tanta lib. » quæ verba respondent græcis : ὅση ἡ ἰσονομία καὶ ἐλευθερία γίγνεται ; et distinguam colo inter voces *libertate* et « canes etiam » ; nam apud Platonem hæc non statim subjiciuntur quæ de canibus, etc. dicuntur.

XLIV, § 68. Malim legere : « ad sermonis mei *seriem* », pro vulg. *morem*, quod tuetur Moserus loco de Legg. II, § 9. Heinrich. conjicit *tenorem* ; Zell. *auctorem*, quod placet Halmio. — Aliena a scriptoris oratione mihi videtur sententia : « maximeque in rebus publicis evenit », quæ sermonem frustra tardat. Moser. addidit *in* ante *rebus* ; Heinrich. velit delere *evenit*. — Melius responderet vox *tyrannis*, quam *tyrannus*, ante *gignitur*, ut apud Platonem, nomini *servitus*.

XLV, § 69. Facile caream voce *optimis*, ante *rerum publicarum*, quæ Halmio videtur delenda. — Legitur in codice « permixta *commutatione* reipublicæ », pro qua lectione edid. Maius *conformatione*, quem sequuti sunt editores ; ego malim *constitutione*, ut legitur paulo supra et infra § 70.

XLVII, § 71. Habet codex « ac tuum quidem munus », quod non stare potest, post « tuum vero » ; scripsit Halm. « ac *debitum* q. m. » ; equidem conjeceram : « ac *iustum* q. m. » — Comparativus *florentior* de Scipione non dici potest ; refertur enim ad voc. *status* ; itaque videtur aliquid deesse quod sic suppleam ; « tunc vero quis *sine* te possit esse florentior ? » Mad-

vig. autem de hoc loco sic scripsit : « Vix fieri potest ut Cicero non scripserit : *quem si habeamus (etsi ne nunc quidem) tum vero quis te possit esse » florentior?* Apertissime significatur nunc quidem illum statum non esse ».

LIBER SECUNDUS.

I, § 3. Malim legere, cum Mosero, *origines*, quod melius convenit cum libri Catonis titulo « de originibus » ; singularis enim nihil proprium exprimit.

III, § 5. Legam cum Orellio : « urbem *ipsam* conderet » ; quid hic valeat *ipse* non intelligo.

IV, § 7. Fortasse legendum *immutatio*, pro voc. *demutatio* quod videtur esse ἅπαξ λεγόμενον. — Codice melius inspecto, legendum esse vidit Du Rieu *exulant*, pro *excurrunt*. — § 8. Malim *captantur*, quam vulg. *capiuntur*. — Tullius ipse scribit ad Atticum (VI, 2, 3) sibi *Phliasios* dicendum fuisse. Codex habet *Phliuntios*, quam lectionem religiosi editores servaverunt; hujus religionis equidem rationem non video. — § 9. Velim : « *ut* quod ubique gentium est ad eam urbem, etc. » mutato *et* in *ut*, et omisso *ut* ante *ad*.

V, § 10. Vox *urbs* mihi videtur abundare post verba « quo posset ». — Opinor legendum esse « ex terra », pro « ex mari », inter *accipere* et « quo egeret », et inserendum esse *ex*, ante « mari absorberet » ; quod nisi fiat bis idem dixisse videbitur scriptor ; in priore autem sententiæ parte loquitur de usu fluminis inter montes et urbem ; in posteriore inter urbem et ostium. Omittam cum Halmio *ut* ante *flumine*. Abesse possunt vocc. « ex terra », post « invectas acciperet ». — Malim cum Maio legere « *alia* in parte Italiæ », pro vulg. *ulla*.

VI, § 11. Halm. edidit : « *ac* plane cognita » ; Mai. et Orelli. *planeque*. Codex habet *plane*.

VII, § 12. Fortasse latet adverbium quale *confestim*, seu *consulto*, in lectione codicis *consulib.*, pro qua Maius edidit *Consualibus*, quod h. l. alienum videtur.

VIII, § 14. Codex habet 1ª manu *potentatus*, 2ª manu *dominatus*, equidem legam *principatus*.

IX, § 16. Vix deesse potest accusativus verbi *coercebat*, itaque inseram *eam*, post voc. *suppliciis*.

X, § 20. Malim legere *depellerent*, pro vulg. *pellerent*.

XI, § 21. Opinor legendum esse : « et te quidem ingressum ratio*nem* ad

disputandum no*vam* » ; facile enim negligi potuit signum litteræ *m*, ut alibi perperam additum fuit ; § 22 *persequente ;* § 27 « religione atque clementia » ; § 51 *sermone*. Similiter Halm. conjicit § 52 legendum esse : « non in umbram et imaginem civitatis, sed in amplissimam rem p. », quod dico non ob linguæ rationem, sed ob compendii usum. — Legam : « præclaram *illam* quidem fortasse », ut supra § 5, « urbem *ipsam* conderet » ; quoniam *ille* et *ipse* hh. ll. aliena sunt. Conf. III, § 12, ubi codex habet *sepse*, pro « se ipsa » seu *ipsam*, et VI, § 9, ubi editum fuit : « cuius ego nomine *ipso* recreor », licet codd. habeant *ipse*.

XV, § 28. Cod. habet 1ª manu secundum Du Rieu : « quæ non solum facta », 2ª manu : « quæ non solum ficta esse ». Scripsit Halmius : « quæ non *modo non* facta ». Equidem omittam verba inter *quæ* et « ne fieri quidem ».

XVI, § 30. Steinackerus vidit legendum esse *statues*, pro lect. cod. *natu es*. Jos. Vict. Clericus conj. *ratus*. — Omittam *multa*, ante *intelliges*, et legam « *multa* esse facta », pro *multo*, quod Halmius inclusit. Verbum *fuissent*, post « quam ibi », mihi omittendum videtur.

XVIII, § 33. Melius abesset voc. *romana*, suspectum Mosero.

XX, § 36. Codex habet : « *Postquam* bello subegit, etc. » ; Madvig. velit « Post bello sub. » coll. de N. D. I, § 22, II, §§ 6, 11, 63, ubi legitur seu « post autem », seu « post a » ; etenim rara sunt exempla ubi adv. *post* consonanti præponitur ; legam igitur *postea*, seu *posthac*, ut velit Moser.

XXI, § 37. Addidit Moserus *in*, inter *famulorum* et *numero ;* quæ præpositio autem abesse potest post « sic erat ».

XXII, § 39. Orellium sequor cum codicis 2ª manu, in loco conclamato. — § 40. Legam cum Madvigio, quem sequutus est Halmius : « Non plus mille quingentos æris ».

XXIII, § 43. Bene inclusit Halmius *ut*, ante « sit aliquod etiam populi ius », monente Steinackero.

XXV, § 45. Verba : « pœnam sceleris sui summam » debentur, opinor, enarratoris cujusdam sedulitati, a quo librarius, qui manu 2ª sæpe feliciter codicem emendavit, h. l. deceptus fuit

XXIX, § 51. Merito inserenda videtur Jos. Vict. Clerico vox *ea*, inter *sed* et « quam habebat ».

XXX, § 52. Omittam cum Madvigio verbum *posset*, inter « non quæ » et *esse*, et *quo* inter *si* et *modo*, quod posterius Halm. inclusit, servato verbo *posset*.

XXXI, § 54. Merito Halm., auctore Madvigio, legit *et*, pro *ut*, ante « quod proditum ». — § 55. Vestigia particulæ *iam*, post voc. *reliqua*, in cod. legi Halm. suspicatur.

XXXII, § 56. Inclusit idem verb. *optinendam*, ante *potentiam*, quod in cod. 2ª manu additum est, verens ne sit glossema ; fortasse scripserat Tullius

sustinendam. — Legendum esse opinor « *bello* gerebantur », vel addendum cum Mosero *domique.*

XXXIV, § 59. Fortasse legendum : « *De*fuerat fortasse aliqua ratio, etc. », quod melius congrueret cum iis quæ subjiciuntur; sic non opus erit quicquam mutare in verbis : « illo ære alieno medendi ». — Libenter legam cum Mosero : « huic *oneri* », pro vulg. *generi.* — Jos. Vict. Clericus conjicit *tenentibus,* pro *tuentibus.* — Malim *excellerent,* quod minus a codicis lectione differt quam *antecellerent.*

XXXV, § 60. Sequar Maium scribentem *legem,* pro *rem,* post verba : « gratamque etiam illam ». — Madvig. legendum esse vidit : « de *multa et* sacramento, pro *multæ.*

XXXVI, § 61. Seclusit Halmius *legum,* post voc. *summa.* — Legam : « quod decemvir sine provocatione esset » ; facile enim signum supra *u* in codicis lectione *decemviru,* permutari potuit cum puncto delendi signo.

XXXVII, § 62. Legam, ut § 42 : « civitatis æqua*bilitas* », seu cum codice « civitas æquabilis ». — § 63. Merito *quibus* Zachariæ delendum censet, post *additis.*

XL, § 67. Omittam voc. *belluam,* post *regit,*quoniam legitur mox *feram.*

LIBER TERTIUS.

III, § 6. Jos. Vict. Clericus malit legere *oriuntur,* pro *ornantur,* quod legitur in cod. et apud Maium reliquosque editores.

IX, § 15. Vix abesse potest, ut monuit idem, vox *bellum,* post *cogitavit.* — § 16. Opinor legendum esse : « quod quum *facimus,* pro *faciamus;* hic enim de re agitur, non de mente.

XV, § 24. Suspicor verbum *imperare,* ortum esse ex voc. *imperio* quod enarrator quidam adj. *alieno* adjunxerat. Verba « quam plurimis » pertinent ad voc. *voluptatibus.* Jos. Vict. Clericus suspicatur legendum esse *imperio,* pro *imperare.*

XXXI, § 43. Legendum esse censeo : « sociatus cœtus », pro « societas cœtus ». Conf, l. VI, c. XIII, § 13 « cœtusque hominum iure sociati ». Augustinus de Civit. dei, XIX, 21 « Populum *enim* esse *definivit* cœtum multitudinis, iuris consensu et utilitatis communione sociatum ».

XXXV, § 47. Vidit Madvigius legendum esse : « fore iam non tam, etc. », pro lectione cod. *fortannon,* teste Maio ; *forta,* teste Du Rieu.

LIBER SEXTUS. — SCIPIONIS SOMNIUM.

IX, § 9. Hoc loco : « itaque numquam ex animo meo discedit illius........ viri memoria » exemplum habemus conj. *itaque*, pro « et ita » positæ, qui usus nonnumquam criticos fugit. Conf. de Legg. II, § 2 ; de Offic. II, § 69. Orellius scribit *ita*, ut Klotz. et plerique editores.

X, § 10. Omisit Halmius adj. *fessum*, ante « de via », quod dant editores, abest vero a codd. Confer tamen Acad. post. I, § 1.

XII, § 12. Omittendum esse opinor voc. *animi*, vel legendum esse : « animi, ingenii, consilii tui ». — Legitur in codd. « et parum rebus audite cetera », unde Ian conjicit : « et *parumper eius* aud. cet. » ; Ochsner. « et parcite verbis » ; edidit Halmius : « et parumper audite cetera », quod nondum satisfacit.

XV, § 15. Merito seclusit Halmius adj. *humanum* post *munus*, quod omisit Macrobius.

XVI, § 16. Membrum : « quem vos ut a Græcis accepistis, orbem lacteum nuncupatis » in ore Pauli, opinor, ponendum est, et transferendum post verba : « incolunt locum », omisso inciso « quem vides », quod ortum ex translatione supervacuum videtur. Sic supra § 15 legitur : « quæ sidera et stellas vocatis ». Membrum vero : « erat autem is....... circus elucens » in ore ponendum est Scipionis, quod bene nectitur cum iis quæ subjiciuntur : « ex quo omnia, etc. ».

XIX, § 20. Adjectivum *obliquos* glossema est participii *transversos*, cujus locum usurpavit ; legendum subinde : « partim aversos, partim etiam adversos », quæ bene respondent græcis *πλαγίους*, *ἀντιστραμμένους*, *ἀντικειμένους*.

XXIII, § 25. Deesse videtur nomen ad quod referatur *omnia* in sententia : « in quo omnia sunt magnis et præstantibus viris » ; mihi videtur excidisse *communia*, ante *omnia*.

XXV, § 27. Legitur apud Platonem, Phædr. p. 245 : *πᾶσαν γῆν συμπεσοῦσαν στῆναι*, ex aliis codd. pro *γῆν* scribitur *γένεσιν*, unde nostro loco legendum : « vel concidat omne cœlum omnisque *natura* consistat. — Vox *ἀναγκή* autem deest in Platone, ergo abesse potest « necesse est », post *consistat*, ubi non necessarium videtur.

DE LEGIBUS. LIBER PRIMUS.

I, § 1. Syllepseos exempla non ita crebro apud nostrum reperiuntur, eaque omni suspicione non tam libera sunt, ut facile admitti debeant quum leviori remedio legitima oratio restitui potest. Hoc loco, translatio incisi « sæpe a me lectus in Mario » post verba « quidem ille », nec veritatem nec leporem dialogi minuit; et quum constet hos Tullium libros non edidisse, librariorum negligentiæ similes nævos tribuere non absonum est. — Addit Halmius, cum Davisio, contra codices, *enim* inter *si* et *manet;* non opus. Legam cum Bakio : « est enim sane vetus », pro vulg. « etenim est ». — § 2. Quorumdam codd. lectionem *dicit*, ante *hodie*, tuetur Bakius, non sine causa. — Bene seclusit Halm. *quercum*, post *Marianam*, cum Manutio et Lambino. — § 3. Veram lectionem restituisse idem mihi videtur scribendo : « Verene Athenis non longe », quod bene congruit cum iis quæ supra leguntur : « certene non longe ».— Bakii conjectura legentis *attica*, pro *antiqua*, non placet. — § 4. Insignem M. Hauptii et A. W. Zumptii correctionem legentium : « versere, veritas », pro vulg. « vel severitas », admisit Halmius; conjecerat Bakius : « nil nisi veritas ». — Pro voce spuria *periculo*, malim seu *portento*, seu *prodigio ;* Wyttenbach. conj. *versiculo*, Bakius *miraculo*. — § 5. Camerarii correctionem *cuncta*, pro codd. lect. *Quinte*, legentis, ante *referantur*, admisit Halmius.

II, § 6. Mihi legendum videtur, seu « annales pontificum » seu « annales maximos ». Conf. de Rep. I, § 25.— Legam cum Ursino *ieiunius*, quam lectionem probasse videtur Niebuhr.; melius enim convenit cum adj. *exile* quod infra legitur, quam *incomptius*, seu *iniucundius*. — Legendum esse seu « *Fannio œtate*, » seu « *Fannii œtati* coniunctus » consentiunt critici; nondum tamen ausi sunt editores alterutram correctionem admittere. — § 7. Fortasse legendum : « in orationibus autem multus et ineptus, *elatus* summa impudentia ». Alii alia. — Corradi correctionem : « Sisenna *meus* amicus », pro *eius*, legentis certissimam esse putat Bakius, conf. jubens Brut. § 260, ubi Sisennam appellat Atticus familiarem *suum*.

III, § 8. Videtur adj. *nostra*, quod abundat post *œtate*, absorpsisse participium *gestœ*, quod omissum esse censet Bakius. — Suspicor legendum esse : « incurret etiam in *illustrem* illum et memorabilem annum suum » ; sic intelligitur quomodo evanuit adjectivum quod desideratur. — Pro *ab isto* malit Bakius legere *ab ipso*, quod certe urbanius est. – § 9. Si cum Halmio addas *sum*, post « cum semel quid orsus », transferenda est, ante « cum semel », conjunctio *si*, et legendum cum Bakio : « *sic* traducor alio ». — § 10. For-

tasse scribendum *sessionem,* pro *cessionem* (Conf. Epist. Att. XIV, 14, 2); quod videtur ipse Tullius indicare, quoniam dicit paulo infra: « more patrio sedens in solio ».

IV, 11. Adsentior Bakio qui censet legendum esse: « *et* quem ad modum .... quotidie *relaxas* aliquid »; etenim de re facta, non facienda, loquitur Atticus, quoniam addit: « ut *iam* oratio tua n. m. a. ph. l. absit.— § 12. Transferam, ante *experiundum,* ubi potuit evanescere ob finalem verbi *placebit,* pronomen *id* quod legitur in codd. ante *si quidem.* Manutius *id* posuit inter *tibi* et *censeo,* Schœmannus, inter *experiundum* et *tibi.* — Geminæ enunciationis vestigium deprehendit Bakius in sententia: « ad quam ego numquam nisi paratus et meditatus accedo », quæ nequit servari, quoniam paulo infra legimus: « sine qua (cogitatione) ad nullam maiorem umquam causam sum ausus accedere ». « Non est hoc librarios castigare, inquit Bakius, aut male » sedulos annotatores, sed ipsum Ciceronem, qui hos præcipue libros non » ea cura absolvit, qua ceteros solebat quos ederet ». Ego vero Ciceronis solitam sedulitatem hic reperio, qui opus retractans elegantiorem formam sententiæ priori substituerat, quam correctionem librarii, seu leviores seu magis quam decebat religiosi, neglexerunt. — § 13. Egregius idem criticus Atticum ad Scævolam ventitasse nullo alio loco memoratum esse monet, ideoque legendum esse censet: « quin ipsum etiam ad Scævolam ventitare ». Leviori remedio vera lectio restituetur, opinor, edendo: « quum *ipsum iam* ad Scævolam ventitares »; pron. *ipsum* commercium cum tam eximio jurisconsulto indicat. — § 14. Verbum *adire,* quod neque necessarium neque aptum hoc loco videtur, merito cum Lambino et Ernestio inclusit Halmius. Fortasse natum est ex *ordire* male posito. Bakius conjicit: « ad Lirem ». — Legam cum Bakio, ex codd. « quam autem exiguum est munus hoc eorum qui consuluntur! » — Ciceronem scripsisse suspicor: « quoad populo *præsto esse* voluerunt », ut infra III, § 43, « temporibus præsto esse debere », pro Mur. 9 « jus civile didicit...... præsto multis fuit ». Ernesti conj. « populo probare »; Madvig. « ad populum præstare »; Bakius « populo deberi viderunt ».— Veram lectionem in codd. turpiter sic adulteratam: « incogniti de tenui est in usu » restituit, opinor, Halm. qui edidit: « id autem ut cognitione tenue est, ita usu necessarium ».

V, § 16. Minus a codd. vestigiis ut a scriptoris mente discedam legendo: « nullo in genere disputandi *manifestius* patefieri quid sit homini a natura tributum », quam ceteri critici qui hunc locum restituere conati sunt. Scripsit Halm.: « Si ullo in genere disputandi in hoc ista patefieri ». Plerique codd. habent: « disputando magis honesta patefieri ». — Malim legere cum Bakio: « *atque* naturalis societas inter ipsos », pro vulg. *quæ.* — § 17. Geminæ enunciationis vestigia in hoc loco animadvertere sibi videbatur Bakius; sic enim scribit, p. XXV: « Destinasse credo Ciceronem hæc » postrema (*natura enim iuris explicanda nobis est......... quæ vocantur iura*

» *civilia*) quæ prioribus substituerentur ; neque enim attinebat id quod op-» poneret disciplinæ aliorum jurisconsultorum (*quem ad modum caveamus* » *in iure*) ita in duas sententias discerpere ; nec dubito quin deserere vo-» luerit eam locutionem quæ non sane respondebat juris civilis dignitati et » gravitati, ut illud diceretur *in parvum quemdam et angustum locum con-* » *cludendum esse* ». Equidem ibi dialogi libertatem libentius agnoscam, ut infra § 19.

VI, § 18. Auctore Vahlen., pro *confecta*, contra codices, edidit Halmius, « *perfecta* lex est », ut legitur §§ 22, 25, etc.— § 19. Omittam, post *eamque*, voc. *rem*, quod videtur glossema esse. — Lambinus νόμον addebat post *nomine ;* equidem id inserere malim ante *appellatum*. — Merito tollendum esse censet Bakius *iuris*, ante *exordium*. — Addit Baiter. « aut prohibendo », post « aut iubendo » ; ita ut homœoteleuton præbeat omissionis causam. Orellius, ut priores editores addebat « aut vetando ». — § 20. Lambinus legere volebat *aptius*, pro *sapientius*, quod melius convenit cum *commodius*.— Legam cum Bakio *scitis*, pro *scriptis*.

VII, § 21. Vix dubitem delere *natura*, inter *vi* et *ratione*. — Malim cum Bakio legere : « caput *magistri* optimi, etc. » pro vulg. lect. *viri ;* codd. habent « caput li », *capulli*, *capituli*. — Verba « in quo scripsit », suspecta Valckenario, facile abesse possunt. — § 22. Bakium sequor legentem : « quorum cetera sunt omnia expertia ». — § 23. Verum vidisse mihi videtur idem criticus quum legendum esse censet : « quoniam nihil est ratione melius *neque* in homine, *nec* in deo » ; quæ lectio orationi elegantiam et perspicuitatem restituit. — Verba « inter eos » abundant, ante *communia*, præsertim si cum Bakio legas : « *ei* civitatis eiusdem habendi sunt », pro vulg. *et*. — Lacunam produnt optimi codices, inter verba *præpotenti* et *universus*, quam sic replere tentavit Halmius : « deo : est igitur ». Magis placet Bakii correctio legentis : « mentique divinæ et præpotenti : *ideo etiam* universus...... existimanda *est*.

VIII, § 24. Incisum : « nimirum ita sunt ut disputantur », cum Wyttenbachio, ut glossema inclusit Halmius ; latere tamen mihi videtur his in verbis sententiæ vestigium quam sic fere scripserat Tullius : « et nimirum ista sunt digna de quibus disputetur », seu : « ita gravia sunt ut disputentur. — Opinor Ciceronem scripsisse, ut edidit Halm. : « neque tam mansueta neque tam fera » ; non enim usus esset verbo rarissimo *immansueta*, sed potius, ut alibi solet, adj. *immanis*. — § 25. Merito inclusit Halm. verbum *agnoscat*, post *recordetur*, quod ex superiore versu huc irrepsit, et apud Lactantium non legitur. — Malim cum Davisio et Bakio legere : « neque alio ullo *in genere* », quam « *in* ingenio » ut scripsit Halmius. — Legam cum Davisio : « *quas* perspicuum est partim esse.......... procreatas » ; Bakius autem *quarum* malit, et hanc lectionem tuetur loco Off. II, 72, qui non tantum valet ut ejusmodi structuram confirmet.

IX, § 26. Legendum esse suspicor : « obscuras *notiones seu* intelligentias inchoavit ». Edidit Halmius ex codd. : « obscuras nec satis ** intelligentias inchoavit ». — Malim cum Bakio legere : « tum speciem ita formavit oris ut in *eo* ...... effingeret », pro vulg. « in *ea* ». — § 27. Ingeniosam Heideggeri conjecturam admisit Halmius legentis : « oculi *mimi* arguti », pro vulg. *nimis*. Conf. notam de Offic. I, § 104. Toup. conj. *limis*; Bake, « in minimis ». — Haud necessaria mihi videtur lectio *volui*, pro *voluit*, quam tuetur Bakius. — Velim cum eodem : « confirmet......... et perficiat », orationem obliquam continuando.

X, § 30. Secludit Halmius verbum *concludimus* quod glossema ad vv. « conficimus aliquid » adjectum ei videtur. Malim cum Mosero et Bakio « ac concludimus ».

XI, § 31. Fortasse legendum : « levitatis enim et suavitatis *lenocinio* delectans ». — § 32. Sic fere Ciceronem scripsisse suspicor : « quod *certe* vivendi *rationem* meliorem efficit », scil. « hominum genus sociatum », seu « hominum societas ».

XII, § 33. Sequor Orellium et Gœrenzium legentes : « inter omnes *ius homines* », pro codd. lectione *iustos*. — Incisum : « quod dicam naturam esse » scholii speciem habet ; ortum est ex conj. *sic* quæ abundat, nec quicquam hic juvat ; immo obscuritatem auget. — Interpositum esse locum : « recteque Socrates...... Pythagorea vox de amicitia locus », Bakius suspicatur, cui non contradicam. Halmius omisit verba : « de amicitia locus », hac adnotatione » addita : « Glossema in locum sententiæ Pythagoreæ se intrusit, quæ verbis » græcis relata fuisse videtur ; intercidisse hæc putant : τὰ τῶν φίλων κοινὰ καὶ φιλίαν ἰσότητα. » — § 34. Vidit Vahlen. addenda esse verba « in amicitia », post *potuerit*, quem sequutus est Halmius.

XIII, § 35. Inseram verba « nescio quid », inter *dixisti* et *Attico* ; etenim acriter respondet Atticus, quasi ipsum pigeat quod de sua opinione dubitaverit Quintus. — § 36. In lectione codd. spuria *detecta, delicta, distincta*, latere suspicor adverbium *adstricte*, quod adv. *libere* respondebat, ut *articulatim* adv. *fuse* respondet. Addam *et* post *articulatim*. — § 37. Ciceronem scripsisse opinor : « ad res publicas firmandas et ad stabiliendas *civitates* iure *sociando* populos, omnis nostra pergit oratio » ; etenim jus societatis vinculum esse demonstravit, quæ optima via est ad res p. firmandas. — Post « nec tamen », intelligendum *vereor* ; nam *ut* hic valet *ne non*, scil. « omnibus probentur » ; quod dico pace Wyttenbacchii, qui intelligi vult *postulo*, et Bakii, qui intelligendum censet : « ita bene provisa ». — § 39. Legendum esse : « satis *tuto* », pro « satis *scite* », Halmius suspicatur ; at vereor ne *tuto* non congruat cum verbis : « miseras edet ruinas ».

XIV, § 40. Malim legere : « *quam quod* eos agitant insectanturque furiæ » ; displicet enim geminatum *sed* ; vix autem abesse potest *quam* post « tam iudiciis ». — Legam cum Bakio : « a natura *et* iure aliquo », pro vulg. *naturæ*.

— Omittam verba : « si pœna », quæ Halmius inclusit ; scriptoris enim mentem perturbant. — § 41. Opinor legendum esse transposita partic. *etiam* : « iustus vir ac bonus conloquetur, etiam iuvabit, in viam deducet ».

XV, § 42. Verba : « aut indicta causa » glossam ad *impune* esse intellexit Feldhuegel., eaque Halm. seclusit. Fortasse alterum verius est. — Adsentior Bakio omittendam esse monenti vocem *illa*, inter *utilitate* et *convellitur*. A Victorio legebatur *alia*, quam lectionem tuetur Madvigius. — § 43. Edidit Halmius, litteris obliquis « *virtutes omnes* », ante *tollentur*, ex codd. deterioribus ; quæ verba desunt in optimis, apud quos legitur *tollantur*. Equidem suspicor legendum esse : « humanitas omnis tolletur ».

XVI, § 44. Merito Lambinus spuria esse censebat verba : « sententiis atque iussis », quæ revera abundant, quoniam et supra et infra exprimuntur. — Sic fere Ciceronem scripsisse suspicor : « *Natura enim* communes intelligentias *notionesque rerum* efficit ». Compendium voc. *natura* originem permutationi dedit. Legitur apud Halm. : « Nam † et communis intelligentia nobis notas res efficit ».

XVII, § 45. Locum omnium criticorum opinione corruptum, ex ingenio Madvigii a Klotzio sic restitutum, edidit Halmius : « itemque inconstantia, quod est vitium sua natura *iudicabitur. An arboris aut equi ingenium natura* probabimus, ingenia iuvenum non item ? » quasi lacunæ, quæ obliquis litteris suppletur, ortum dederit homœoteleuton. Mihi autem, ut Bakio, hoc remedium, quod ob voc. *iuvenum* verisimile habitum est atque ex § 45, cap. XVI, haustum est, gravius videtur ; mentemque scriptoris sic verius exprimere opinor : « sua natura *probatur ; num* ingenia *iuvenum* non item ? » — § 46. Sic pergam : « *At si* ingenia natura, virtutesne et vitia, quæ existunt ab ingeniis, aliter iudicabuntur ? *At si* ea non aliter, honesta et turpia *nonne* ad naturam referri necesse erit ? », scribendo bis *at si* pro *an*. — Tullium scripsisse opinor : « quod laudabile est *bonum*, bonum in se habeat quod laudetur necesse est ». — § 47. Malit Bakius : « multitudinis *consessus* », quod melius congruit cum Platonis loco, Rep. VI, p. 492 B.

XVIII, § 48. Scribendum esse vidit Halmius : « si iustitia », pro falsa codd. lectione « sit in ea ». — Vox *sententia* mihi videtur h. l. aliena ; nostrum scriptorem scripsisse suspicor : « eademque omnium virtutum causa atque *consequentia* est ». — § 49. Codices habent : « non suapte virtus expetitur ». Car. Stephanum « sua sponte » legentem Halmius secutus est. Feldhuegel. malit : « suapte vi ; » Orelli cum editt. vett. « suapte natura » ; equidem suspicor in hac codd. lect. latere vocem *potestate*, scil. δυνάμει, quæ nonnumquam per compendium scribitur *pte*. — Legam deinceps : « *vana* erit virtus », pro *una* quod legitur in codd. et edd. Conjicit Halm. *illa*, Bake : « *nulla* erit virtus atque malitia rectissime dicetur ». — Fortasse legendum, ut supra « si nemo, etc. » : « si *neminem* ipsi cernunt grati, cui *referant*

gratiam », pro vulg. « si *non eum* ipsi c. gr. ». — Malim : « quo quid potest dici *inhumanius?* », pro vulg. *immanius*.

XIX, § 50. Vix dici potest quemquam, ut rumorem bonum colligat, erubescere ; neque ipsi Ciceroni attribuenda est sententia : « Pudet iam loqui de pudicitita », quoniam statim subjungit : « ac *me* istorum philosophorum pudet ; itaque malim, ex cod. H, cum Halmio, scribere : « erubescunt impudica etiam loqui » ; videtur enim illud « de pudicitia » nota esse marginalis. Subinde locum, multis jam conjecturis tentatum, sic restitui posse opinor : « ac me *nimirum* istorum [philosophorum] pudet, qui nullum vitium *constare,* nisi iudicio ipso notatum (*seu* mulctatum), putant. Legitur in quibusdam codd. « ac nimis istorum ». — § 51. Malim, cum Bakio, « quod idem », pro vulg. « quod *item* ». — § 52. Verum vidit Halmius, qui legit : « per *se* parva sunt », pro vulg. « perparva sunt ». Conjiciebat Bakius : « perparvi fiunt ». — Legam cum Davisio : « ut ex *aliis* alia nectantur ».

XX. Facile carebo verbis : « ad istam orationem » seu « cum ista oratione », seu « quod istam orationem » ; quæ codd. dissensio monet ea spuria esse ; etenim apud Tullium verbum *prolabi* sine hujusmodi complemento adhibetur. — Vix abesse potest gerundium inter *cuius* et *causa,* sed malim legere *assequendi,* quo Tullius ipse utitur, de Fin. V, § 68, quam *apiscendi,* quod semel tantum, teste Bakio, apud nostrum legitur.— § 53. Fortasse legendum : « in Græciam Athenasque venisset » ; sic non opus addere cum Halmio *abisset ;* nec satis concinne dici opinor : « ex prætura in Græciam abire ». — Geminæ enunciationis vestigium h. l. habemus ; etenim alterutram sententiam omittere oportet, ne bis idem putide dicat noster ; seu : « quod si essent eo animo ut nollent ætatem in litibus conterere, posse rem convenire », seu : « si posset inter eos aliquid convenire » ; quæ posterior, prius a Tullio scripta, deinceps ab eo neglecta fuit, postquam ampliorem illam effiuxerat. — § 54. Obsequutus est Halmius Bakio legendum esse monenti : « *omne,* quod secundum naturam esset », pro *omnes.*— Legam cum Bakio : « probe quidem *sentis* », ex melioribus codd.

XXI. Tullium scripsisse suspicor : « Vir, *Tite,* fuit ille quidem prudens, etc. » ; nonnihil offendunt *iste* et *ille* de eodem viro. — § 55. Verbum *vides* abesse potest post « Qui istuc tandem ? » Debetur cuidam enarratori ; non tamen assentior Bakio qui ortum esse censet ex lectione « hoc video », pro « hoc dico ». — Omittam *esset,* inter *honestum* et *malumque,* et inseram *esse* inter *omnes* et *plane ;* quæ confusio orta est ex omisso per negligentiam verbo *esse,* quod postea inter versus restitutum alieno loco insertum fuit et mutatum in *esset.* — § 56. Sequar Davisium et Bakium omittentes membrum : « quod inter hæc velit virtute tamquam lege vivere », quod omnino supervacuum videtur, post ea quæ jam dicta sunt. Halmius autem totam sententiam seclusit, a verbis : « Sed certe ita res se habet »...... usque ad « tamquam lege vivere ».

XXIII, § 60. Legendum esse opinor : « societatemque caritatis coierit cum *omnibus quos* natura coniunctos *suos* duxerit ». Sic vitatur tautologia. Codd. habent *omnibusque*. — § 61. Geminæ enunciationis vestigium h. l. habemus ; alterutra forma eligenda est, seu : « seseque non unius circumdatum mœnibus loci », seu : « seseque non popularem alicuius definiti loci », quæ mihi potior videtur, quia melius convenit cum iis quæ subjiciuntur : « sed civem totius mundi ». Codd. habent : « unis circumdatum mœnibus popularem alicuius definiti loci ».

XXIV, § 62. Malim, Halmio auctore, legere : « laudata est ea quidem a te graviter et vere ». — § 63. Legam : « *Tu* vero recte facis et merito, fuitque id, ut *ipse* dicis, in hoc sermone faciundum ».

LIBER SECUNDUS.

I, § 1. Legam, ut velit Halmius : « sane equidem ». — Sequar Orellii amicum legentem : « sive quid scribo ». — § 3. Non displicet Guilielmi conjectura legentis : « quæ te non attingit, *Tite* », pro vulg. *ita*, quod seclusit Halmius.

II, § 4. Addit Halm. *esse*, post *puto* ; quod verbum deest in codd. et vix abesse potest, sed malim legere : « Ego vero tibi istam *esse* iustam causam puto, etc. ». Facile compendium verbi *esse* potuit negligi ob litteram *m*. — § 5. Membrum : « Idem ego te accipio dicere Arpinum », alieno loco positum, suspiciones criticorum merito movit ; suum locum facile obtinebit paulo infra, post *Tusculum*. — Restituit veram lectionem Halmius scribens : « Quid ? duas vos habetis patrias, etc. ». — Apud codices legitur : « Symfrantidem et Atticis », quam spuriam lectionem sic corrigere tentavit Schützius : « Suæ φρατρίας erant iidem et Attici ». Madvigius autem, quem sequuti sunt Bakius et Halmius, scribit : « et sui erant idem et Attici », quæ sententia perspicuitate caret. Equidem opinor Ciceronem scripsisse : « et *simul* sui erant *demi* et Attici ». Vox *demi* inusitata errorem librariorum genuit ; at noster simul utitur voce *astu*. Valckenarius jam viderat legendum esse : « sui erant demi et Attici », quæ conjectura inedita, ab Halmio non memorata, demum innotuit ex Bakii de Legg. libro, qui, quoniam fatetur h. l. Ciceronem minus accurate verba quibus Attici scriptores ea in re utuntur interpretatum esse, magis accuratam inter δήμους et municipia distinctionem ab eo requirere non debebat. Sed legendum est, ut ipse Bakius monuit : « *postquam* Theseus eos demigrare...... iussit » ; pro « *prius quam*

Th...... *iussisset* », quam correctionem jam Manutius et alii commendaverant. — Omittunt optimi codices post vv. « ubi nati », incisum : « et illam qua excepti », quod legitur in deterioribus et ab editoribus admissum fuit. Bake scribendum esse putabat « a qua excepti sumus ». Halm. edidit litteris obliquis : « et illam, in quam recepti », quod probandum videtur. — Tuetur Madvigius, spuria Bakius censet verba : « dum sit illa maior, hæc in ea contineatur » ; equidem omittam tantum : « hæc in ea contineatur » ; quoniam *illa* opponitur vocibus « hanc meam », non opus addi quicquam post *maior*. — Legitur in optimis codd. post *contineatur* : « habet civitatis et unam illam civitatem putat », quod glossema jam damnaverat Camerarius ; videtur enim referri ad ea quæ paulo supra leguntur : « rei publicæ nomen universæ civitatis est ».

IV, § 8. Opinor Ciceronem prius scripsisse : « Videamus igitur........ vim naturamque legis, quum referenda sint ad eam omnia », omisso *ne* inter *legis* et *quum*, et posthac plenius sententiam sic expressisse : « vim naturamque legis, ne labamur interdum errore sermonis, ignoremusque vim eius, quum iura nobis definienda *sunt* », ut scripsit Halmius ; itaque delendum est incisum : « quum referenda sint ad eam omnia » quod manifesto abundat. — Malim cum Davisio et Bakio legere : « ex *quo* illa lex », pro vulg. *qua*.

V, § 11. Sequar Davisium legentem : « favore magis quam *iure* », pro vulg. « quam *re* » ; — Halmius velit : « eas leges videlicet *nominatas esse* vel *nominasse*, pro vulg. *nominarent*. Bakius malit *nominare* ; equidem legam *nominatas esse*, quod convenit cum vv. *inventas esse*. — Bakius conjicit *scripserint*, pro *descripserint*. — § 13. Si legatur *latrones*, pro codd. lect. *latores*, legendum *consensu*, pro vulg. *consessu*. — Locus corruptus : « cuicuimodi fuerit illa » mihi sic restitui posse videtur : « cuiusvis *commodo sciverint illam* » ; statim subjiciam : « si perniciosum aliquid populus acceperit » ; *etiam si* scriptoris menti repugnat.

VI, § 14. Fortasse legendum : « *atque* separatim de legibus eius », pro *idemque*. — Merito inclusit Halmius voc. *legis*, inter *eius* et *laude*. — Sententiam : « Quos imitatus Plato...... minis cogere », non sine causa Bakius insititiam esse suspicatur. — § 15. Excellens idem criticus legendum esse censet : « At Theophrastus, auctor haud deterior, mea quidem sententia melior multo » ; omisso verbo *nominant*, quod videtur glossema esse verbi *commemorant*.

VII. Eumdem sequar legentem : « *deorum* geri ditione ac numine », pro *eorum*. — § 16. Malim : « summa ingenii *ratio comprehendat, nulla* ratione moveri putet » ; sic homœoarcton, quod lacunæ ortum dedit, pariter intelligitur. — Legam cum Bakio *vindicibus*, pro vulg. *iudicibus*. — § 17. Obsequutus est Halmius Bakio legendum esse monenti : « *de deis* exordium », pro vulg. « *legis* exordium » ; codices habent *de eis*.— § 18. Vox *leges*, post

legum, Halmio glossema videtur. — Contra codices, qui habent « si *potero* », edidit Halm. « si *potuero* », quod piget Bakium admisisse.

VIII, § 19. Opinor legendum esse, ut § 25, *alienigenas*, pro *advenas*. — Sequitur Halmius Buechelerum et Mommsenium legentes : « ne movento », pro codd. lect. *movento*, Orellius aliique editt. *amovento* cum deterioribus codd. — Legam cum Bakio : « *itaque* uti cadat » ; *itaque* hic valet *et ita*. — Inclusit Halm., Bakio monente : « sacerdotes publice ». — § 20. Opinor legendum esse, ut supra : « *itaque ut* committi possit [ad eam rem ratione] cursus annuos sacerdotes *publice* finiunto » ; sic lacunæ locus non erit, quam suspicabatur Buechelerus, et ἔμϐλημα « sacerdotes publice » suum locum obtinebit. Verba « ad eam rem *seu* rationem » glossema sunt conj. *itaque*. — Sequar Halmium locum corruptum sic corrigendum esse suspicantem : « Quo quæque modo sacra privatim rite fiant discunto » ; omittens, auctore Buechelero, verba « et publice » quæ hic aliena sunt. – Mommsen. legendum esse monuit : « quæ eorum senatus », pro *quorum*. — Pro vulg. *postea*, Klotz. et Halm. legunt *ostenta*, Feldhuegel. *portenta*.

IX, § 21. Suspicor legendum esse : « induciarum, *pactorum* fetiales ». Codd. habent *oratorum* ; Madvigius conj. *ratarum*. — Davisius ex quodam codice conj. « *duo* sunto » ; codd. opt. « *non* sunto ». Fortasse scripsit Tullius : « fetiales vindices iudices non sunto. — § 22. Alieno loco insertum fuisse suspicor colon : « quod sine curriculo et sine certatione corporum fiat », et post verbum *iungunto* transferendum esse ; conf. § 38.

X, § 23. Legam cum Bakio : « tamen *erant* fere », pro vulg. *erunt*. — § 24. Malim legere cum cod. Burneiano : « atque hæc mea sententia est » ; conj. *quidem* legitur versu superiore et inferiore, unde in alienum locum irrepsit. — Fortasse hærebat scriptor inter alterutram formam, seu : « casto corpore adeatur », seu : « casta corpora adhibeantur ». — § 26. Legere malim : « *Nam* a patribus acceptos deos ita placet coli, *ut* huic legi paruerunt ipsi. *Iam* delubra esse in urbibus censeo, etc. ».

XI. Suspicor in verbo *cerneret*, quod legitur in codd. nec nisi scribas *cernerent* seu *cernerentur*, addito *quæ*, intelligi potest, latere verbum *censet*, quod deest ante *Thales* et cujus locum particula *quod* usurpavit ; itaque legam : « et censet Thales........ homines existimare oportere omnia deorum esse plena ». — Fortasse Tullius scripsit : « Est enim quædam, *opinor*, species deorum in oculis, non solum in mentibus », pro *opinione*.— § 28. Legendum esse censeo : « Bene vero quod Mens..... Fides consecratur *manubiis* ». Conf. Cic. pro Arch. § 27 : « Fulvius non dubitavit Martis manubias Musis consecrare ». Livius, X, 46 : « Delubrum Minervæ ex manubiis dicavit ».— Ciceronem sic scripsisse opinor : « Quod si fingenda *numina*, Vice-potæ potius atque Statæ rerumque expetendarum Salutis, Honoris, Opis, Victoriæ », scil. finguntur. Vocc. *Statoris*, *Invicti* sunt glossemata vocc. *Statæ*,

Vicepotæ. — Fortasse latet in corrupta seu obscura lectione *comestum* participium *concessum*, scil. *numen*.

XII, § 29. Patet ex § 19 deesse vocem *frugum* seu *baccarum*, ante libamenta, quod vidit Vahlen ; itaque hunc criticum et Halmium sequens legam : « utque ad tempus [sacrificiorum] frugum libamenta serventur, etc. ». — Addidit Halm. *non*, ante *interpretatum*, quod vix abesse potest. — Voc. *omnem* ante *castitatem*, abundare mihi videtur ; fortasse ortum est ex *omnes*, quod quidam enarrator post *mulieres* inseruerat. — § 30. Legendum esse opinor, seu : « sacris publicis........ religioni privatæ », seu : « sacris publice........ religioni privatim ». — § 31. Malim : « *cum sit* auctoritati coniunctum ».

XIII, § 32. Adverbia *quasi* et *prorsus* simul servari non possunt in sententia : « alteri disciplina vestra quasi divinari videatur prorsus posse » ; Halm. omisit *prorsus*. In libris de Divin. *quasi* verissimilius esset ; in libris de Legg. *prorsus* melius Ciceronis menti respondet ; itaque legam : « alteri disciplinam vestram divinari prorsus posse ». — Omittam cum Davisio *quod*, inter *signis* et *disciplinæ*. — Legam cum Madvigio, quem sequutus est Halm. : « si enim deos esse concedimus ». Codd. habent « summos esse concedimus ». — § 33. Censebat Bakius legendum esse *prædicta*, pro *prædictis* ; equidem suspicor sententiam : « augurum prædictis multa incredibiliter vera cecidisse » cuidam enarratori tribuendam esse ; non sane Tullii elegantiam redolet, neque ab orationis serie requiritur. — Pronomen *id*, post *nationes*, videtur alienum esse. Fortasse, ut monet Bakius, latet in vocabulis superstitibus vox *divinationem*, quæ per homœoteleuton evanuit, et legendum infra « *eam certam* esse docuisset », pro vulg. « ea certa ». — Auctore Mommsenio, omisit Halm. nomen *Arabum*, ante *Phrygum*.

XIV, § 34. Malim cum Bakio legere : *fœderumque*, pro vulg. *forumque* seu *horumque* ; saltem melius congruit cum § 21, c. IX. Madvig. et Halm. legunt *eorumque*. — Bakius jam viderat legendum esse : « satis esse in ipsa lege », pro vulg. « satis supraque *seu* superque ». Halm. edidit auctore Feldhügel. « satis esse iam in ipsa lege ». — § 35. Admittenda erat Car. Stephani et Manutii correctio legentium *vestri*, seu, ut malit Halm., *vostri*, pro vulg. *nostri*, post *Eumolpidæque*.

XV, § 37. Habent opt. codd. « inet inmittendas, *seu* inmitendis religionibus », deteriores « in admittendis », quod edidit Halm. Bakius censet legendum *initiandis* quod solœcum est ; debebat, ut monet Halm., *initiando* ; equidem malim *imitandis* vel *inducendis*. — § 38. Locum corruptum, partim egregiorum criticorum ingenio feliciter emendatum, sic restituendum esse opinor : « Iam lud*is* public*is*, quoniam sunt cavea circoque divisi, *ut* corporum certationi cursu et pugillatione...... circus *est* constitutus, *sic* cavea ad cantum, etc. » scil. constituatur. — § 39. Lacunæ, non corruptelæ, signum ponam inter *puto* et « illa quidem ». — Malim *recidi*, quod de rebus pravis dicitur, quam *incidi*.

XVI, § 40. Legam cum Bakio, ex § 22, « colantur *optima* » ; edid. Halm. *optumi*. — § 41. Fortasse Tullius scripsit : « De diligentia votorum satis in lege : facta est voti sponsio qua obligamur deo ».

XVII, § 41-42. Legitur in codd. « quam grave omnia tum », unde lacunam suspicabantur inter *grave* et *omnia*, quam Wyttenbachius replebat addendo *hominibus*; Madvigius autem vidit voc. *hominibus* latere in voce *omnia*, et monuit legendum esse, distinctione posita post *hominibus* : « *Cum* perditorum...... qui illa servarat, circumspicite celeriter, etc, ». Sic Halmius edidit. Equidem malim : « *Postquam* perditorum, etc. ». — Non intelligo quid sint « iudicia senatus, Italiæ, gentium denique omnium » ; neque genitivus « conservatæ patriæ » legitimus videtur ; itaque legam : « *iudicio* senatus It. g. d. o. conservatæ patriæ *laudem* consecuti sumus ». — Minus a codicum lectione discedam scribendo : « non solum sunt *vitiis* cruciati atq. ded. », quod convenit cum iis quæ § 43 leguntur : « ardentes tum cupiditate, tum metu, tum conscientia ». Halm edidit : « Non solum *nullo in* vita cruciatu ». Bruti correctionem « n. s. vitæ cruciatu » Bakius tuetur. — § 43. Quoniam vix dici potest judicia simul corrupta esse et perrupta, nam perrupta de tribunalibus intelligitur, corrupta de sententia, Schütz. inclusit *perrupta*, Halm. *corrupta*; equidem legendum esse opinor : « *iura* perrupta ab iisdem, iudicia corrupta hominum, non deorum ». — § 44. Auctore Hulsemanno legam : « Tantum ponam *sceleris* duplicem esse pœnam divinam », et sequar Madvigium legentem : « eamque constare *et ex* vexandis, etc. ».

XVIII, § 45. Legam cum Lambino : « Ligneum autem *quod quis* voluerit », ut reddatur græcum ὅ τι ἂν ἐθέλῃ τις (apud Plat. Legg. XI), et cum Halmio, *dicato*. — § 46. Egregiam Madvigii correctionem legentis « a peritissimis », pro codd. lect. *apertissimi* admisit Halmius. — Idem, adstipulante Bakio, Davisii non minus legitimam correctionem in textum tandem recepit : « qui modo ingenio sit mediocri ».

XIX, § 47. Fortasse legendum, pro « aut *ullo omnino* », « aut *alio communi* ». — § 48. Monuit Madvigius, quem Feldhuegel., Klotz., Halm. sequuti sunt, spuria esse verba quæ inter « perpetua sint » et « Hoc uno posito » leguntur. Fortasse in iis latet prior loci qui subjicitur enunciatio, quam librarii inepte servaverunt negligenterque perscripserunt.

XX, § 49. Alterum geminæ enunciationis exemplum habemus in his duobus incisis : « si maiorem partem pecuniæ capiat » et « si maior pars pecuniæ legata est » quorum alterutrum manifesto abundat ; equidem prius servem, ut fecit Halmius præeunte Christio. — § 50. Halmius malit : « sed pontifice*s* sequamur », pro *pontificem* ; quod si fit, omitti potest voc. *pontifices*, inter *quod* et « cum pecunia », ut volebat Bakius. — Legam cum eodem : « *ad quæ addunt* hoc Scævolæ », pro vulg. « *atque etiam dant* », quod religiosius servavit Halmius.— Prorsus omittam incisum h. l. alienum :

« quod est partitio ». — Jam pridem a Bachio ad Brissonii Formulas (1754) factam correctionem *deductio*, pro *deducta*, tandem admisit Halmius.— Mihi videtur addendum *at*, ante « quod eo insciente factum est ».— § 51. Habent optimi codd. « quas qui nascuntur intelligat », quod verbum *nascuntur*, errore hic iteratum, potuit adverbium seu negationem detrudere; plerique editores legunt « *non* intelligat ». Halmius scripsit « *paulum* intelligat »; equidem Orellium et Bakium sequor legentes : « quas, qui intelligat, etc. », i. e. qui intelligens sit. — C. F. W. Müller. legendum esse opinatur, monente Bakio : « eoque pecunia non minor esset facta quam quæ superiore exactione heredibus omnibus esset relicta ».

XXI, § 53. Legendum videtur h. l., ut supra § 51, « *heredes* testamenti sol*vat* ».

XXII, § 55. Sequar Creuzerum et Bakium, qui cum Salmasio et Turnebo legunt « quia residentur mortuis ». Apte conferas Plauti locum Capt. 3, 1, 8. « Venter gutturque resident esuriales ferias ». — Legam ex diversorum criticorum sententiis : « Eas in eos dies conferri (Halm.) jus *est* (Lambin.), ut *neque* (Bake) ipsius neque publicæ feriæ sint ». — Voc. *vervecibus* cuidam scholiastæ deberi suspicati sunt Davisius, Wagnerus; Halmius id seclusit. — § 56. Obeli signum posuit Halmius ante verba « *in eo* sepulcro », quia Madvigius in vocc. *in eo* adjectivi vestigia quo sepulcri materia significata erat latere suspicabatur; res non ita liquet ut oratio corrupta habeatur. — Wagneri conjectura legentis *Fonti*, scil. Iani filii, pro *Fontis*, mihi probabilis videtur. — Fortasse Tullius scripsit : « acerbiore odio incitatus quam *par erat*, seu *decebat*, *si tam* sapiens fuisset quam fuit vehemens. — § 57. Veram Madvigii correctionem : « porcus cæsus sit » admisit Halmius, pro codd. lect. « corpus cæsus est », quam editorum alius alio modo corrigere tentaverat. Luebbertus (in Comment. pontifical.) jam sic emendandum esse h. l. monuerat. — Obeli signum ponam ad verba : « iniecta gleba tumulus, ubi humatus est, ex gleba vocatur », quæ manifesto spuria sunt. Equidem sic legendum esse opinor : « iniecta gleba, *locus* ubi *os* humatum est, tumulus vocatur ». Conf. § 55. — Conjunctio *itaque* merito Bakii suspicionem movit; legam « *atque* in eo ».— Omittam cum Bakio et Feldhuegelio verba supervacua : « et porco femina piaculum pati », quæ ex gemina enunciatione fortasse orta sunt. — Legam, ut Halmius malit : « *Sin* in mari mortuus esset ».

XXIII, § 58. Sequar Aldum et Bakium legentes : « *ec*quidnam sit in legibus ». — Voc. *domina*, ante *Honoris*, ortum est ex repetito *lamina*, quod vidit Turnebus; sed omittendum est hoc glossema. — § 59. Merito inclusit Halmius verba in codd. corrupta : « tribus reciniis et † vincla purpuræ et decem tibicinibus », quæ videntur sumpta ex XII tabulis; conf. § 64.

XXIV, § 60. Aptiorem, opinor, locum obtinerent verba : « Hæc præterea sunt in legibus......... acerræ prætereantur » paulo supra, § 59, inter « id

ipsum vetat » et « hæc laudabilia »; quia ultima §i 59 sententia ad sumptus in funeribus locupletum vetitos refertur, ut discrimen fortunæ morte tollatur. — Malim, cum Bakio, legere : « *nec* sumptuosa respersio, *nec* longæ coronæ, nec acerræ præter*euntur*. — Vix abesse potest voc. *funera* quod in codd. deest, post *plura*. — Omittam cum Bakio voces « altera lex », post *excipit*. Halm. scripsit : « excipitur altera [lege] ». Codd. addunt, post « excipiat altera lex » : « præcipit altera lege », quæ verba glossematis speciem habent.— § 61. Legitur in codd. « incendium veretur acerbum vetat », quam lectionem tuentur Goerenz. et Bake, omisso verbo *vetat*. Alii conjiciunt : « incend. videtur arcere ». Halm. edidit : « incendium ut arceatur vetat ». Malim : « incendium ut *avertatur* vetat », quod a codd. lect. minus differt.

XXV, § 62. Non placet iterata formula « sed credo », quæ prius sic legitur in codd. fere omnibus « sed recedo »; itaque sic corrigendam esse vulg. lect. suspicor : « *Concedo*, Quinte,..... in C. Figuli sep. *vides*; sed credo minimam...... nam multo exstarent ampliora maiorum ». — § 63. Verba « ille mos », quæ, ut monet Halm., misere divellunt voces « iam a Cecrope », mihi videntur esse glossema vocc. « hoc ius », quæ dant codd. post *permansit*. Fortasse in his vocc. « hoc ius » latent vocc. « hic usus », quæ cum iis quæ subjiciuntur non male congruerent, quoniam terra obserebatur. — Malim : « quum *quicquid* veri poterat, erat prædicatum ». — § 64. Legam : « postea, *quum*......cœpissent ».

XXVI, § 65. Merito scripsit Halmius : « *auget* luctum », pro vulg. *habet*. — § 66. Pro *aliorum*, conjiciebat Orellius *alienum*. Bakius malit *alienorum*, scil. τῶν μὴ προςηκόντων, quem sequutus est Halmius.

XXVII, § 68. Wagnerus merito spuria censet verba : « Deinceps dicit..... pœnis impiorum », quæ Halmius inclusit. — § 69. Pro *igitur*, post *habetis*, fortasse scribendum *sic*. — Abundare videtur *die*, post « uno æstivo ».

LIBER TERTIUS.

I, § 1. Codd. optimi habent : « Platonem videlicet *diligis* », deteriores : « Pl. v. *dicis* », quos sequuti sunt Orellius et plerique editores; equidem utroque verbo facile carebo. — § 2. Fortasse legendum : « vereque dici *solet* », pro *potest*. — § 3. Alterutrum eligendum, seu : « legem intelligi volo », seu : « legem a me dici volo » ; prius magis placet.

II, § 4. Opinor esse legendum : « *unde* etiam deinceps posteris prode-

batur », pro *deinde*. — Incluserunt *et*, post *quod*, Orellius et Halmius; equidem id omittam.

III, § 6. Ægre mihi persuadeam Tullium scripsisse : « isque civis......... parento », pro *iisque cives*. — Non sine causa suspicatur Halm. *aurumve* ex interpolatione adjectum esse. — § 7. Idem merito seclusit : « reliqui magistratus annui sunto », quod colon Bakius transferendum § 8 fin. esse censet. — § 9. Inseram colon : « reliqui magistratus ne sunto » paulo supra, post voc. *disceptator*, ut putabat Christius, qui tamen id omitti posse censebat. — § 10. Auctore Buechelero, Halmius inclusit verba : « Ast potestas....... perscripta servanto » ; equidem Wyttenbachium sequar qui partic. *si* inter *ast* et *potestas* inserit, unde sensus legitimus oritur; sed omittam cum Halmio vocc. *senatus consulta*, post *prohibessit*.

IV. Legam cum Bakio : « Ast *si* quid erit, quod, etc. ». — § 11. Hic etiam velim cum eodem : « Ast *si* quid turbassitur, etc. ». — Fortasse legendum : « proposita in *tabulario*, cognita sunto ». Adhærebant enim tabularia nonnullis ædibus privatis atque delubris.

V, § 12. Legam, ut indicat Halmius : « nihil habui, *saltem* non multum », pro « sane *aut* », quam Madvigii correctionem admisit Halmius. Codd. habent *non* seu « non modo ». C. F. W. Müller. codices sequitur cum vulg. lect. « nihil habui sane, non modo multum », quæ illi non dubia videtur. — § 13. Inclusit Halmius vv. « de magistratibus », quæ non omnino supervacua sunt. — Idem, ex codd. AB, restituit *Dione* pro *Diogene*, quod nomen ex Turnebi conjectura admiserant editores ; desunt autem exempla quibus hæc conjectura muniatur. Orellius in Onomastico utrumque nomen ad nostrum locum refert.

VI, § 14. Si legas : « ab hac familia », lacunæ signum ponendum est; vix enim pron. *hac* ad posteriora referri potest, ut vult Bakius; Lambinum sequi malim legentem : « ad hanc familiam ».

VIII, § 18. Fortasse legendum : « *Lævus* tribunus pl. ». Conf. Ep. ad fam. X, 18. — § 19. Bake otiosissimum censet *sed*, ante verba : « sequitur lex ». Legam : « *Iam* s. l. ». — Addit Goerenz. *est*, inter *quæ* et « in rep. nostra ». Turnebus legebat : « quæ in rep. nostra *est* » ; equidem Goerenzium sequar ; sed omittam *est*, post « nihil necesse ». — Tullium scripsisse suspicor : « cum esset *leto devotus* », quod melius congruit cum more et facto, quam codd. lectio « cito legatus », et lect. vulg. *necatus* ; quoniam dicitur statim *recreatus* et *renatus*. Halm. edidit *ablegatus* ex Aurati conjectura ; Orellius cum Grutero *letatus*, sed conj. *leto datus*.

IX. Malim cum Davisio legere : « infima summis paria fecit, omnia turbavit ». — § 20. Non certa mihi videtur emendatio : « C. Gracchi tribunatus », quam admisit Halmius ; acquiescam, ut Bakius, in Turnebi correctione : « C. vero Gracchus *runis* (non *ruinis*) et sicis iis, etc. ». — § 22. Geminæ enunciationis vestigium deprehendere mihi videor in loco quem merito

Bakius corruptum esse censet. Post verba : « Sed ille quas strages edidit! eas videlicet quas sine ratione ac sine ulla spe bona », legam seu : « furor edere potuit impuræ belluæ », seu : « edere potuit multorum inflammatus furoribus », priorem certe prætulit Tullius, neglecta altera sententia quam antea scripserat.

X, § 23. Admisit Halm. Feldhuegelii conjecturam : « consulatus vituperari potest » ; Bakius, opinor, verius conjiciebat : « consulatum vituperes », quoniam statim legitur *collegeris*. — § 24. Halm. edidit, auctore Manutio, probante Madvigio, *neclectus*, pro lect. codd. *nectus* ; — monente Vahlen. *evertit*, pro codd. lect. *fuerat*, ubi Bentley conj. *fregerat*, Bake *fregit*.— Legendum esse censeo, ex Tullii mente : « *paucos* in omni memoria reperies perniciosos tribunos » ; codd. habent *nullus*, Lambinus conj. *nonnullos*, quem sequutus est Halmius. — § 25. Fortasse legendum : « ut *meritis* præclarissimis adduceretur » ; vix enim conveniunt *multis* et *præclarissimis*, quæ leguntur in codd. Madvig. conj. « vinclis præclarissimis », Bake et Feldhuegel : « multis præclaris institutis » ; alii alia, Halm. malit : « multis præclaris vinclis ».

XI. Merito inclusit Halm., monente Baitero, *incitata*, post *plebes*, quod deleri potuit, quoniam ex sequenti versu sine dubio irrepsit. — Vere conjecisse mihi videtur Bakius legendum esse *potestate*, pro vulg. *peste*, ante « certamen fuit ». — Idem legere volebat : « cui si non cessissem » ; Halmius scripsit : « cui nisi cessissem », quod malim. — Omittam *fuit*, post « libertate dignus », quod verbum ambiguitatem gignit, et facile abesse potest. — § 26. Participium *inflammata* mihi videtur ex glossemate ortum. — Legam cum Lambino : « si tribunus pl. aliquis in me populum, etc. », pro codd. lect. corrupta « tribuniciaquis in me pop. ». — Adsentior Bakio qui Quinti personam præposuit verbis : « Scis solere, frater...... prorsus ita est ». Non vero hæc verba mihi, ut huic egregio critico, aliena a Cicerone videntur. — Non sequar Madvigium legentem : « *Nec* me hercule ego sane a Quinto nostro dissentio », quæ in ore Attici ponit ; nam abundare videtur *sane*, post *me hercule*, et requiritur Quinti responsum ad ea quæ Marcus dixit ; itaque legam : « Q. *Sic* me hercule. Att. Nec ego sane a Q. n. d. ».

XII, § 27. Opinor legendum esse : « *quum* seu *quoniam* senatus efficitur », pro vulg. *quod*, quæ particula cum aliis sæpius permutatur, nec satis perspicue h. l. sententiarum seriem indicat. — § 28. Codd. habent ut edidit Halm. qui colon circumscripsit : « et laterat et ut vitio careat ordo et ». Alii alia ; equidem sic legam : « Præclara vero, frater, ista lex est, *sed flagitat* ut vitio careat ordo *et* censorem quærit interpretem ».

XIII, § 30. Correctionem Bakii iterato verbo legentis : « quod si tenemus, tenemus omnia » merito Halmius admisit. — Legam cum Turnebo : « *effe*rebatur quasi commodissime respondisset » ; si voluisset Tullius verbo *ferebatur* uti, scripsisset « commodissime respondisse ». — Inseram *id*, ante

« concedi sibi oportere », quoniam sequitur *quod*. — § 31. Contra optimos codices qui habent : « cupiditatis eiusdem », legunt Bake et Halm. « *cupiditatibus eisdem* tenerentur », quod equidem non improbo.

XV, § 33. Cuidam magistro Bakius tribuenda esse censebat verba : « in magistratu mandando an de reo iudicando qui in lege aut rogatione, etc. ». Illa autem tuentur Madvig. et Halm. qui locum sic edidit : « suffragia in magistratu mandando ac de reo iudicando atque in legum rogatione clam an palam ferri melius esset », Bakii et Madvigii curis usus. — Jam viderat Lambinus in ore Quinti ponenda esse verba : « An etiam id dubium est », quæ Orellius aliique pristini editores dant Attico. — Malim : « obtinerine iam *possit*.

XVI, § 35. Legendum esse vidit Bakius : « de populi *iudiciis* », pro *iudicio*. — § 36. Inclusit Halm. nomen *Marius*, quod abest a cod. A. — Addidit idem, auctore Lambino, voc. *avo*, post « nostro quidem ». — Madvig. censet legendum esse : « ad *senatum* delata » ; at secutus est Halmius codd. AB in quibus legitur « ad *se* delata », quod ferri potest.

XVII, § 39. Scripsit Halmius : « ut desinat ambitus », pro vulg. « ut ne sint ambitus », quod vitiosum est ob *ne* et pluralem voc. *ambitus*. Equidem legam ut infra : « sileat ambitus ». — Ambiguitatem gignit lectio vulg. « *in quo* populo potestas honeste bonis gratificandi datur » ; malim legere *quod* pro *in quo*, vel delere vocem *populo*, quæ facile abesse potest. — § 40. Legendum esse suspicor : « Quod *sequitur* in senatu non difficile », pro codd. lect. « Quod *si* in sen., etc. » ob frequens compendium v. *sequitur;* quod Madvigium et Bakium fugit.— Correctio Davisii legentis *auditorem* iis rationibus quas Ruhnkenius ad Vell. I, 13 adhibuit non repudiari potest. Codd. AB habent « ab auctorem » ; Halm. scribit « ad auctorem » ; Orellius cum Turnebo « ad actorem ». — Verba « in sententia » merito inclusit Halmius, Orellio auctore. — Omittam cum Bakio *generum*, ante « in utroque ». — § 41. Jam Manutius incluserat « res publica », post *socios;* poterat omitti.

XIX, § 43. Si addatur *se*, post *meminisse*, non opus inserere *se* ante *consiliarium*, ubi legendum *sic*, quod respondeat part. *ut*, ante « sibi eos ». — Fortasse legendum : « sibi *definiendas* esse traditas ». Bake volebat *divinitus*. — § 44. Sequar cum Halmio Davisium et Lambinum in restituendo loco : « et nondum *notis* seditiosis tribunis plebis, ne *cogitatis* quidem ». — Fortasse sic legendum : « cum legis hæc vis sit, ut *idem* scitum sit et iussum in omnes ».

XX, § 47. Legam : « integram *rem* tamen legi », quæ vox absorberi potuit a syllaba præcedente. — § 49. Malim : « sic *prorsus* censeo », quod non ambiguum ut *prosum*.

FINIS.

